ILLVSTRISSIMO CARDINALI STANISLAO Hoſio Epiſcopo VVarmienſi, patrono ſuo ſingulari, Nicolaus Sanderus omnem fœlicitatem precatur.

QVi ob oculos ſibi proponit Illuſtriſſime Cardinalis Hoſi, quot ſint qui noſtra ætate quæſtionē illam tractarint, vtrum Dominus in ſexto capite Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ propriè locutus ſit, nec ne: primo quidem intuitu potius nimium quàm parum de illa re ſcriptum eſſe iudicabit. Nec *enim ex vlla orbis Latini regione viri ornatiſſimi defuerunt, qui hoc argumentum copioſè perſecuti ſint, quorum & nomina & patriam in hoc opere, ſuo deinceps loco recenſebimus. Sed cùm ex altera parte viderem adhuc ne Catholicis quidem omnibus, nedum Lutheranis aut Caluiniſtis, hac in re ſatisfactum eſſe: quinimo ſcirem vix totũ adhuc triennium præteriiſſe, cùm vir grauiſſimus edito publicè libello, negauit apud Ioannem de Sacramento Euchariſtiæ propriè actum eſſe: operæpretium me facturũ eſſe putabam, ſi difficiliores eiuſdem cauſæ modos, quoad poſſem plenius aliquanto expedirem. Nam tametſi complures hanc quæſtionē velut aliud agẽtes aggreſſi fuerint, neminem tamen me vidiſſe memini, qui eam*

 de-

35.3.A.10

dedita opera examinarit: vnde magna ſpe afficior, & me aliquid allaturum quod hactenus dictum nō ſit, & ſi quid æqui boniq́ dixero, id ſaltem Catholicos aſpernaturos nō eſſe. Quicquid verò aut in hac aut in quacunque alia re quod reprehenſione iuſta carere queat, me agere continget, id omne tuæ Illuſtriſſimæ dominationi accepto ferendum eſſe, vltrò confiteor. Nam & prudentiſſimis colloquijs tuis inſtitutus, & doctiſſimis libris eruditus, & annua benificentia inſtructus ad ſcribendum acceſſi: vt meritò etiam hoc tempore id præ me ferre, tuoq; nomini qualeſcunque meos labores in primis dedicare debeam. Nec poſſum dubitare quin tua Illuſtriſſima Dominatio, quæ argumentum quod explicandam ſuſcepi, vehementer probat, hoc opuſculum æquiſſimis oculis aſpectura ſit. Quòd ſi aliter ob imperitam rei tractationem euenire poſſet, tamē certo ſcio quæcunque operis huius errata forent, ea officio huic meo, quod ſummo amore ac ſtudio nititur, condonanda eſſe. Nam ſi charitas operit multitudinem peccatorum etiam apud Deum, nec aliud Hoſio, hoc eſt, ſancto viro curæ ſit, quàm vt Dei ſimillimus euadat, profectò etiam Hoſius ſpectabit, nō tam quid ſcribo, quàm quo amore tum erga fidem Catholicam, tum erga ipſius perſonam, vt aliquid omnino ſcriberem adductus ſum. Ita Charitas Dei T. Ill. D. tueatur, & omni gratia non ſolùm neceſſaria, verùmetiam ſuperabundante augeat, vt in nos quoq; per tuas preces redundare nonnihil queat. Datum Louanij, VII. Calend. Maij. Anno D. M.D.LXIX.

Sum-

SVMMA EORVM QVÆ *in ſingulis capitibus decla-rantur.*

1. SCripturæ ſenſum octo præcipuè modis inueſtigari poſſe.
2. Quæ ſit ſpiritalis & quæ Sacramentalis manducatio.
3. De Sacramentali apud Ioannem agi ſecundū proprietatē verborum.
4. Hæc verba (*Panis quem ego dabo caro mea eſt*) propriè de ſola Euchariſtia dici.
5. Eadem non poſſe intelligi propriè velut carnē Chriſti quatenus fuit crucifixa comedendam inſinuent.
6. Rationem eorum quæ in ſexto Ioannis dicuntur potiſsimū ad Sacramentalem manducationem pertinere.
7. Idem probatur ex eorum quæ ibi facta & dicta narrātur circunſtantia.
8. Itemque ex collatione ſcripturarum inter ſe.
9. Et ex Patrum conſenſu.
10. Non rectè reſponderi authoritatibus

6

Patrum ab ijs qui aliter ſentiunt.

11. Conciliorum authoritas docet de Sacramentali manducatione agi.

12. Idem docet ipſe vſus Eccleſiarum.

13. D. Baſilium idem ſentire.

14. Itemque D. Auguſtinum.

15. Atque etiam D. Bernardum.

16. Reſpondetur argumentis eorũ qui aliter ſentiunt.

17. Secundam hanc doctrinam Euchariſtiam paruulis non dari.

18. Nec vtriuſque ſpeciei communionem hinc poſſe concludi.

19. Diuerſam ſententiam multis modis imperfectam, & à recta ratione diſiunctam.

OCTO

OCTO FERE MODIS LITERALEM ET PROprium Sacræ ſcripturæ ſenſum inueſtigari poſſe, iiſdemque omnibus probabitur: quod Dominus in ſexto capite Ioannis propriè ſit locutus de Euchariſtiæ Sacramento.

CAPVT. I.

DVplicem eſſe ſacrarum literarum intelligentiam, hoc eſt, literalem ac ſpiritalem ſeu myſticam, nulli prorſus dubium eſt, vel mediocriter in ſacris literis verſato. De myſtica intelligentia & ſpiritali iam non agimus. Illa verò literalis nō ineptè etiam hiſtoria vocari poteſt, ab eo quòd rem de qua agitur perſpicuè narrat & exponit: quæ velut baſis & fundamentum cuiuſque allegoriæ, ſpiritaliſque ſententiæ cùm ſit, omni ſtudio à nobis primo quoque tempore indagāda eſt & ſtudioſis proponenda. *Debemus* (inquit Hieronymus) *Scripturam ſanctam primùm ſecundum literam intelligere.* Aſſentitur autem Hieronymo Auguſtinus in his verbis. *Quis non impudentiſſimè nitatur aliquid in allegoria poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſta teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura?* Literalis verò ſenſus & intelligentia his modis fideliſſimè inuenitur. Primò, *proprietate verborum*, quæ ſem-

In Amos cap. 4.

Ad Vincentium, epiſt. 48.

Quibus modis proprius ſenſus inueſtigatur.

ſemper præſumitur, niſi res ac ratio ipſa quippiam aliud ſuadeat. Secundò, *ratione dicti*, ſi qua fortè reddita inuenitur. Tertiò, *orationis & rei totius circunſtantia*. Quartò, *ſimilium aut diſſimilium locorum collatione*. Quintò, *clariſſimorum patrum conſenſu*. Sextò, *Conciliorum auctoritate*. Septimò, *illuſtrium eccleſiarum vſu*. Octauò, *repugnantium opinionum confutatione*. Ad hoc enim neceſſarius eſt iſte vltimus modus, vt cùm in varias partes vel rerum rationes, vel hominum auctoritates trahi poſsint, per contrariæ opinionis confutationem declaretur, non modò id probabile eſſe quod affirmatur, verùm nihil eo verius aut ſanius in eodem loco intelligi poſſe. Quibus ita prælibatis, ad rem ipſam ſe conferat oratio.

DE SPIRITALI ET SAcramentali manducatione.

CAP. II.

CVm probandũ mihi hoc tempore ſumpſerim, quod Christus in ſexto capite Ioannis tam de ſacramentali quàm de ſpiritali manducatione egerit, ne res nõ intellecta errorem pariat: operæpretium eſt planum facere quid his appellationibus contineri ſtatuam. Equidem non ignoro manducationis vocabulum tam latè à quibuſdam extendi, vt ſpiritalem manducationem dicant eſſe illam, qua primùm aliquis fit particeps vnitatis Eccleſiæ: ſiue id fiat in adultis per fidem actualem cum voto baptiſmi, ſeu in paruulis per baptiſmum abſque actu fidei. Sed ſi vocabulum iſtud manducationis propriè (vt maximè cõuenit) acceperimus, illa erit ſpiritalis manducatio, quæ gratiam Chriſti ac vitæ æternæ ſemen prius inſitum fouet ac nutrit: nõ verò quæ primùm ac-

Manducatio ſpiritalis impropriè & latiſsimè accepta.

accipit cæleſtis vitę originem et cauſam. Etenim Auguſtino etiam atteſtante: *Aliud eſt naſci de ſpiritu, aliud paſci de ſpiritu. Sicut aliud eſt naſci de carne, quod fit, cùm parit mater: aliud paſci de carne, quod fit, cùm lactat infantem, ad hoc conuerſum: vt cùm voluptate biberet, vnde natus eſt vt viueret: vt inde acciperet viuendi alimentum, vnde accepit naſcendi initium.* Nec enim propriè manducat quiſquam niſi qui viuit: nec manducat ſpiritaliter, niſi qui prius in ſe habuit vitam ſpiritalem, qua manducandi officium exerceret. Quæ cùm ita ſint, illa propriè erit ſpiritalis tantùm manducatio, qua gratiam prius acquiſitam ex interiore charitatis actu, abſque vllius Sacramenti, non quidem voto, ſed reali perceptione fouemus ac nutrimus: Nam ſpiritalis actus manducandi ſemper in ſe complectitur deſiderium, aut expreſſum aut certè tacitum percipiendi Sacramenta Chriſti: nec vllos modos negligit quos Chriſtus inſtituit. Sin autem cæleſte illud donum quo paſcimur per ſignum externum & inſtrumentum corporeum exhibeatur, vt in Baptiſmo, in Euchariſtia, itemq́ue in alijs Sacramentis fit, idq́ue à nobis non ſolo corpore, ſed etiam ſpiritu participetur, erit manducatio & ſacramētalis propter ſignū externū: & ſpiritalis propter internū effectū. At illa manducatio, qua Sacramentum aliquod ſolo corporis miniſterio abſque ſpiritus cooperatione, indignè atque inutiliter ſumitur (quanquā ipſa etiam ſpiritalis quodammodo poſsit dici, quoniam eo ritu externo qui fuit à ſpiritu ſancto inſtitutus, in ſancto fidelium cœtu exercetur) tamen diſtinguendæ rei cauſa, non malè à ſapientibus viris tantùm Sacramentalis manducatio dicta eſt. Itaque vel ſolo Sacramento, abſque ſpiritus fructu, vel ſolo ſpiritu, nunquam tamen ſine fructu: vel tam ſpiritu quàm Sacramento, idq́; ſummo cum fructu,

De verb. Domini, ſecundū Matt. Serm. 11.

Spiritalis tantū manducatio propriè accepta.

Sacramētalis tantum mā ducatio.

panem vitæ manducamus. Nam cùm hominis natura illa ſit, vt ex animo & corpore coaleſcat, id opus hominis (qua homo eſt) longè perfectiſsimum ſit neceſſe eſt: in quo tam corpus quàm anima in cultum Dei conſentiunt & cooperantur. Defendemus verò tam de ſpiritali mãducatione quodam in loco apud Ioannem, quàm ſimul de ſpiritali Sacramentalique in alio eiuſdem capitis loco agi.

EX VERBORVM PROprietate oſtenditur de Sacramentali manducatione apud Ioannem agi.

CAP. III.

Hic eſt primus ex octo interpretãdi modis.

SEcundum Iuriſprudentes (quorum eſt de verborum ſignificatione iudicare) quoties de orationis alicuius interpretatione quæritur, non aliter á recepta verborum proprietate recedendũ eſt, quàm ſi mens loquentis alia fuiſſe vel ex ipſarum rerũ abſurditate, vel ex aliis manifeſtiſsimis indicijs deprehendi queat. Cùm enim verba ſignificandi animi cauſa adhibeantur, niſi ea ſignificatio potiſsimum à proprietate & vſu penderet, nunquã ſciri poſſet quid quiſquam dicere ſtatuiſſet: omninoque ita ſinguli omnia interpretarentur, quẽadmodum è re ipſorum maximè futurum eſſet: nec vlla iam vtilitas verborum reſtaret, ſed ea tantùm futura eſſent iurgiorum & litis infinitum prope ſeminarium. Sin regula quędam & certa moderatio in verbis examinandis obſeruabitur, profectò primus locus meritò dabitur magis propriæ, magis receptæ, magiſque eximiæ cuiuſque vocis ſignificationi. (*Ego verò* inquit Baſilius)

Marcel. in leg. nõ aliter, lib. 3. de legatis.

Orat. 9. in hex.

cùm

rùm fœnum audio, fœnum intelligo. Et ſtirpem & piſcem, & beſtiam, & auem, omnia vt dicta ſunt, accipio. Certè *peruerſiſsimum eſt* (inquit Tertullianus) *vt carnem nominantes, animam intelligamus, & animam ſignificantes carnem interpretemur: omnia periclitabuntur aliter accipi quàm ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quàm ſunt cognominantur. Fides nominum ſalus eſt proprietatum.* Nec verò (ait Epiphanius) *omnia diuina verba opus habent allegoria, ſed prout ſe habent accipienda ſunt. Speculatione autem indigent & ſenſu ad cognoſcendam vniuſcuiuſque argumenti vim & facultatem.* Denique Auguſtinus docet *quod perſpicuè ſonat non eſſe ad aliud referendum quaſi figuratè dictum ſit, niſi flagitium aut facinus aliquod præcipi videatur.* Quamobrem Ruardus Tapper Theologorum noſtri ſæculi facilè princeps, mihi videtur & ſapienter & ad propoſitum aptiſsimè locutus eſſe. Cùm enim videret duos inſignes viros Epiſcopum Roffenſem & Cardinalem Caietanum diuerſa iudicia de ſexto capite Ioannis Apoſtoli feciſſe, eò quòd Roffenſis acerrimè aſſeueraret dominum ibi de Euchariſtia loqui: Caietanus verò in contrariam ſententiam diſcederet: tunc Ruardus ita interlocutus eſt: *In hac magna & apparente ſententiarum diuerſitate circa magnum hoc myſterium ſacræ Euchariſtiæ, mihi videtur conformius textui Euangelico, quod ipſum intelligamus ſecundum propriam verborum & ſermonis Chriſti ſignificationem.* Hæc ille. Nec dubiū eſt quin hæc interpretādi ratio ſemper nobis obſeruāda & retinenda ſit, niſi euidētiſsima ſigna quibus nullo modo ſatisfieri queat, à verborum proprietate nos reuocent. Id igitur indagandum ſupereſt, quænam ſit apud Ioannem propria verborum Chriſti ſignificatio. Nam hac in parte vereor ne nō ſatis cum ipſo Ruardo conſenſurus ſum. Etenim

De Carne Chriſti.

Hæreſi. 61.

De Doctr. Chriſti lib. 3. cap. 10. & 11.

In tom. 2. attic. 15 pag. 276.

quan-

quanquam eius perobſcura & non ſatis ſibimetipſi conſtans opinio videatur, tamen id tandem enunciat, *caput ſextum Ioannis principaliter & propriè de Sa-*
Ibidem pag.277. *cramento Euchariſtiæ non diſſerere*. Ac de eius quidem ſententia dicetur in eo loco vbi ſanctorum patrum auctoritates proponemus. Nunc id quod dat accipimus, propriam verborum Chriſti ſignificationem ante omnia ſequendam eſſe. Etſi autem in rebus diuinis quæ tum intelligẽtiam tum orationem humanam ſuperant, vix vlla oratio penitus & omnino propria eſſe poteſt: tamen aliter quàm humano modo apud homines dici atque agi non potuerit: illa oratio in rebus ſacris propria cẽſenda eſt, quæ ad vſitatam loquendi conſuetudinem quàm proximè accedit. Christus igitur apud Ioannem ait: *Et panis*
Ioan.6. *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Hic ſi proprietatem verborum ſequimur, & dãda in cibum caro Chriſti promittitur, & manducari tum poſſe tum debere iudicatur.
Dare. Datio rei corporeæ (quæ moueri facilè poſsit) apud homines de manu in manum fieri ſolet. Itemque man-
Manducare. ducatio carnis aut cibi cuiuſquam, propriè ac naturaliter oris officio exercetur. Promiſsionis autem verbum hoc eſt, *panis quem ego dabo, caro mea eſt*. Si-
Dabo. gnificat enim carnem Chriſti poſtea in panem ſeu in cibum dandam eſſe. Promiſsio autem carnis dandæ in cibum qui æternæ vitæ cauſa comedendus ſit, ſi omnino implenda eſt: nec alibi legatur magis propriè, hoc eſt, manuum atque oris officio impleta, quàm cùm Chriſtus dixit, *accipite & comedite, hoc eſt*
Matt.26. *corpus meum*: cumque illud corpus & poſt illam promiſsionem diſcipulis datum ſciatur, & caro filij hominis extiterit, & æternæ ſalutis cauſa manducan-

dum

dum fuerit: *vt vnus panis, vnum corpus, multi eſſent, omnes qui de vno pane participant*, quid obſtat cur illa promiſsio ad hanc impletionem præcipuè referri nõ debeat? Aut quæ poſſunt eſſe rationes alicuius momenti, quibus ab iſta ſignificantiſsima verborum proprietate, ad aliam magis impropriam minuſque perſpicuam ac illuſtrem eorundem verborum ſententiam abducamur? Vtrúmne flagitium aut facinus videtur eſſe, vt Chriſtus promittat ſe daturum carnem ſuam in Sacramento? Quod igitur in vltima cœna nullo cum flagitio aut facinore ab ipſa Dei ſapientia præſtitum aut certè traditum credimus, hoc abſurdè Capharnai promiſſum intelligetur? Quaſi verò impletionem promiſsio & naturaliter apud homines, & diuinitus ex inſtituto Chriſti præcedere non ſoleat: qui & mortem ſuam, & reſurrectionem, & aduentum ſpiritus ſancti, omninoque eò libentius quidquam prædixit, quò magis inuſitatum id atque inſolens diſcipulis videri poterat. Cùm ergo valde inuſitatum ſit, vt carnem filij hominis æternæ vitæ cauſa in Sacramento reipſa manducemus, multò veriſimillimũ eſt hoc ipſum à Chriſto prædictũ antea fuiſſe (quod etiam D. Chryſoſtom. & Cyrillus apertè docent) ne re noua & inaudita diſcipulos in vltima cœna obſtupefaceret. Si verò & verba ſexti capitis ad Sacramentum Euchariſtiæ proprijſsimè referri poſſunt, nec id ante promiſſum fuiſſe vlla ex parte abſurdum ſit: quinimo & ratio naturalis, & conſuetudo Chriſti, & authoritas prudentiſsimorum hominum ad eam ſententiam nos inuitent, atque adeo pertrahant: profectò nulla ſatis grauis cauſa relinquitur, ob quam aduerſarij ſextum caput Ioannis ad Sacramentalem manducationem proprijſsimè ac ante omnia referri debere negent. Vtcunq; ſit, ſaltem prima interpretando-
rum

1. Cor. 10

Remouetur obiectio.

Promiſſio in rebus maximis præcedit impletionem.

Mat. 20. Luc. 18. & 24.

Chryſ. in Mat. homil. 83. Cyril. in Ioan. li. 3. ca. 37.

rum verborũ ratio quę à proprietate & vſu loquendi petitur, tota à nobis facit. Si enim rem & nomina prout perſpicuè ſonant, accipiemus: carnem Chriſti audientes, carnem veram intelligemus: *dationem filij hominis* audiẽtes, talem intelligemus, qualis inter homines de manu in manum fieri ſolet. Itemq́ue manducationem carnis quæ verè cibus eſt, audientes, talem intelligemus manducationẽ, qualis in eo quod verè cibus eſt, apud homines oris officio exercetur: quæ omnia Sacramento Euchariſtiæ ſignificantiſſimè reſpondent, vt ſatis mirari non poſſim, quæ ratio Ruardum ad verborum propriam ſignificationem ſua ſponte prouocantem tam ſubito in aliã opinionẽ allexerit. Nihil enim ferè aliud affert quàm quòd *Saluator ita locutus eſt, quaſi eo tempore ij potuiſſent manducare carnem & bibere ſanguinem ſuum quibus loquebatur.* Atqui vtcunque hoc in alijs verbis ſignificari videatur, certè in his verbis non ſignificatur: *operamini cibum quem filius hominis dabit vobis: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Ecce bis audimus promitti quod poſthac dabitur quippiam in cibum, quod vtique manifeſtè declarat non omnia Chriſti verba ſic eſſe pronũciata, quaſi tantum eo tempore caro ſua eſſet manducanda. Sed iam paulò diligentius etiã illa verba examinemus.

QVOD NVLLVS ALIVS ſit literalis & proprius ſenſus horum verborum (& panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mũdi vita) quàm vt de Euchariſtiæ Sacramento intelligantur.

CAP.

CAP. IIII.

SI verba hæc (*& panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*) ad Euchariſtiæ Sacramentum referantur, ea interpretatio non modò rectè conſtare, & in ſuo gradu vera eſſe deprehendetur, verum etiam alias omnes quæ afferuntur interpretationes adeò longè ſuperabit, vt ſola videatur prima & maximè Germana eſſe. Nam qui ſic ea verba interpretantur vt dicant *Chriſtum promittere carnem ſuam per fidem ſeu ſpiritali modo in cibum ſpiritalem dandam eſſe*, nihil afferunt cur ea datio in futurũ reijci debeat, cùm ab initio mundi ſpiritaliter in cibum ſpiritalem omnibus iuſtis data ſit: non erat enim in aliquo alio ſalus præterquàm in Chriſto Deo & homine: adeò vt ipſi Patriarchæ cũ gaudio viderint diẽ Chriſti. Deinde ſi quis dicat illud verbũ (*dabo*) poſitum eſſe pro dedi aut do. Confutabitur ex eo quod in eadem oratione mox adiũgitur. Ait enim Chriſtus, *panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*: bis dictum eſt (*dabo*) nec poteſt dubitari quin ex eadem figura orationis in priore, qua in poſteriore loco dictum ſit. Sed in poſteriore loco manifeſtum eſt Chriſtum nõ intellexiſſe quod aut iam det aut antea dederat carnẽ ſuam pro mundi vita. Id enim fiebat per mortem Chriſti, quam nondum ſubiuerat, quando hæc verba Capharnai loquebatur. Quemadmodum igitur iſta verba, *carnem meam dabo pro mundi vita*, neceſſariò pertinent ad futurum tempus. Sic & illa, *panis quẽ ego dabo, caro mea eſt*. Vnde ſequetur tale aliquid, per vtramq; dationem (quæ in poſterũ futura eſt) ſignificari, quale hactenus factum non ſit. Si verò de ſpiritali tantùm manducatione agatur, eo modo iam inde ab initio mundi manducata erat caro Chriſti. Non igitur tantùm

Ioan. 6.

Act. 4.
Ioan. 8.

tùm ſpiritaliter manducanda caro Chriſti promittitur, ſed etiam per Sacramẽtum Euchariſtiæ. Itaque quoniam ſenſus iſte qui de ſpirituali manducatione affertur, non ſatisfaciebat, ad alium quendam deuentum eſt (ſi tamen alius eſt) qui ſic ſe habet. Dicit enim Reuerendus Cardinalis Caietanus in hæc verba (*& panis quem ego dabo:*) *Poſtquam declarauit ſeipſum ratione ſuæ deitatis panem viuum qui de cælo deſcendit, tranſit modo ad declarandũ rurſus ſeipſum etiam ſecundum humanam naturam aßumptam eſſe panem viuum; & incipit à morte paßioneque ſua: dicens eſſe ſimiliter cibum mundi. Ita quod non ſolùm ipſe verbum eſt cibus & vita mundi, ſed etiam ipſe crucifixus, mortuus &c. eſt panis & vita mundi. Quod eſt dictum, oportere mundum paſci credendo & amando, non ſolùm Deum in ipſo Ieſu homine, ſed etiam hominẽ paſſum ac mortuum pro ſalute mundi. Propterea enim hactenus ſeipſum dixit panem: modò autem cum coniunctione copulatiua, accumulando ait (& panis) ſignificanterque dicit dabo, & non dicit do: quoniam futura erat donatio eius. Simulque petentibus da nobis hunc panẽ, declarat, qualis eſt panis, quem ipſe dabit. (Caro mea eſt) Deſunt tres dictiones, ſcilicet (quem ego dabo) & ſequitur (pro mundi vita.) Manifeſtißimè explicat panem hunc fore paßionem & mortem ſuam: dicendo quòd panis, quem ego dabo, eſt caro mea, non myſtica, non ſpiritualis, ſed quam ego dabo pro mundi vita, conſtat enim quòd in paßione & morte ſua daturus erat carnem ſuam naturalem pro mundi vita.* Hæc ille. Reſponſio. Quod Chriſtus ante hæc verba (*& panis quem ego dabo*) delarauit ſeipſum ratione ſuæ deitatis panem viuum eſſe, concedo: Sed addo quòd etiã ratione ſuæ humanitatis ſe panem viuum eſſe declarauit, cùm diceret: *pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis Dei* (ſeu verus) *eſt qui de*

cælo

Caietanus in 6. caput Ioannis.

&

Dabo.

Caro

cælo deſcendit: & dat vitam mundo. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, & vidiſtis me & non credidiſtis. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit nõ moriatur. Quid obſecro eſt aliud *panem viuum de cælo deſcendere*, quàm verbum Dei carnem de virgine accipere? *Qui enim deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos.* Aut quid eſt aliud *manducare ex illo pane qui de cælo deſcendit*, quàm credere in filium Dei incarnatum, & ita per humanam etiam eius naturam paſci? Aut quomodo cum manna (quod genus panis de aêre in terram deſcendebat vt ab Iſraelitis manducaretur) Chriſtus comparatur, niſi ratione humanitatis, per quam deſcẽdit è cælo, & in terra viſus eſt? aut quis eſt alius quem Iudæi *viderunt & in eũ nõ crediderũt*, niſi Chriſti caro, quam nõ agnoſcebãt verbo ipſi vnitam eſſe? Chriſtus ergo ante iſta verba (& panis quem ego dabo) ſeipſum declarauerat panem viuum eſſe tam ex deitatis natura, quã vnitæ carnis ratione, licet hactenus clarè nõ egerit de Sacramentali quopiam modo manducandi carnem ſuam, de quo iam deinceps perſpicuè acturus eſt. Tertiò Caietanus dicit Chriſtũ incipere à morte paſsióneque ſua, dum ait: *quod ipſe crucifixus eſt panis & vita mundi*, dicit quidem et hoc Chriſtus, ſed non incipit ab eo: nam priuſquam hoc dixit præmittit, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*: Vbi de morte nihil adhuc eſt dictum. Sequitur autẽ de morte, cùm addit, *quam ego dabo pro mundi vita.* Quanquam enim Latini codices vnicæ dationis meminerint, & ea lectio vera & catholica ſit, non tamen habet eccleſia Dei talem conſuetudinem, vt per Latinos codices fidem abroget Græcis, maximè quando vtrique ſimul conſtare poſſunt. Itaq; ſi non bis exprimeretur illud (*dabo*) tamen bis intelligi debe-

Eph. 4.

Exod. 16.

ret. Licet igitur eadem ſit ſubſtantia carnis Chriſti quæ tum datur vt panis,id eſt, vt manducanda, tum pro mundi vita:tamen datio eſt alia & alia:Et prior illa datio dicitur eſſe quę ad cibũ pertinet: poſterior verò illa quæ pro mundi vita eſt, ſicuti etiam reipſa Euchariſtia(quoad temporis ordinem ante mortem Chriſti inſtituta eſt. *Panis* (inquit) *quem ego dabo*,id eſt, cibus quem vobis porrigam, eſt caro mea,quam ego dabo, id eſt , quam ègo offeram patri meo pro mundi vita: quem ſenſum vbi mox probauero, apparebit non modò eſſe duplicem dationem,verumetiã quod datio aliter intelligitur in primo quam in ſecũdo loco: nimirum quia aliud eſt dare hominibus,& aliud dare Deo. Hominibus à Chriſto dantur res iam prius conſecratæ:at Deo ipſa conſecratio vouetur & datur:illis Sacramenta,huic ſoli ſacrificia debentur. Panis igitur quem dabo in Sacramento eſt caro mea myſtica & ſpiritalis, quam ipſam dabo non myſticè nec ſub velamẽto,ſed palàm in ſpecie hominis pro mundi vita:Nec miretur quiſquam ſi variam dationem aſſerimus. Nam & in cœna ſua vbi hæc promiſsio completa eſt, Chriſtus dedit di-

Luc.22. cens: *accipite & manducate, hoc eſt corpus meũ,quod pro vobis datur.* Aliter igitur illud corpus dedit diſcipulis dicens:*accipite*: aliter *pro illis & pro mundi vita dedit*. Sed de hac ſcripturarum collatione agetur poſtea.Nunc refellenda ſunt hæc vltima Caietani ver-

Dabo. ba, in quibus ait, *Significanter dicit dabo, & non dicit do, quoniam futura erat donatio eius.* (& pòſt) *panis quẽ ego dabo,eſt caro mea non myſtica, non ſpiritualis,ſed quam ego dabo pro mundi vita.* Primam huius orationis partem cõcedo. Verè enim *ſignificanter dicit dominus, dabo, & non dicit do,quoniam futura erat donatio eius*.Sed quando futura erat? nõ in cœna(ſi Caietano credimus)ſed in cruce,Putaret certè quiſpiam ſa

tis

tis apertè locutum eſſe Caietanum, ſed tamen tantùm ab eo abeſt, vt omnino mihi non videatur hoc verbum(*dabo*) quod priore loco ponitur, interpretatus eſſe. Quæro enim quid ſignificent hæc verba, *& panis quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita?* Caietanus reſpondere videtur in hunc modum: dabo in futurum carnem meam pro mundi vita, & illa ſcilicet caro mea crucifixa eſt cibus mundi, ſic enim ait, *ipſe crucifixus eſt panis & vita mundi.* Verùm hæc interpretatio licet in ſe valde vera ſit, nõ eſt propria huius loci. Nam Caietanus notat, & ſignificanter dici fatetur, etiam in priore loco, *dabo & non do.* Et tamen cùm ad rem ventum eſt, non explicat nobis illud prius (dabo) ſed conuertit ſenſum, perinde ac ſi dictum eſſet, panis quem ego do: dicit enim, humana Chriſti natura eſt, ſimiliter cibus mundi. Cur ô Reuerẽde vir dicis eſt: & non potius erit? Itemque *ipſe crucifixus & mortuus eſt panis & vita mundi.* Eſto: Sed cur iterum dicis eſt, & non potius erit? Clamas ſignificanter dictum eſſe dabo, & non audes per futurum tempus rem explicare, ſed tantùm per præſens? Quid hoc eſt? Vtique vir omnium facilè ingenioſiſsimus videbat ſe totam veritatem non fuiſſe expreſſurum ſi dixiſſet, humana Chriſti natura vel Chriſtus crucifixus & mortuus erit panis & vita mũdi. Aequè enim verùm eſt quod incarnatio & mors Chriſti iam ab orbe condito fuit atque etiam eſt: ac non ſolùm erit panis & vita mundi. Quare igitur notauit ſignificanter dictum eſſe dabo, & poſtea non audet dicere, erit, ſed futurum tempus cõuertit in præſens: & per præſens tempus tam præteritum intelligit quàm futurum. At ſi voluit explicatè agere, ſic dicendum erat, & panis, id eſt, cibus, quem ego dabo, poſthac aliter quàm antehac dedi, eſt caro mea, quam ego dabo pro mundi vita.

Iam ab illo iterum quæro vbinam quæſita ſit hæc datio, quæ tam ſignificanter promiſſa eſt primo in loco, *& panis quem ego dabo*? Vbi inquam dedit Chriſtus hunc panem? Vtrum in cruce? Equidem non auſim Caietano, quem ex animo veneror, eam ſententiam affingere, quam in illius commentarijs expreſſam non lego: nec enim ibi reperio Caietanum ſic rem explicare, velut ſi diceretur: *& panis quem ego dabo in cruce, eſt caro mea, quam ego dabo pro mundi vita*. Dicit quidem Chriſtum crucifixum eſſe mundi cibum & vitam: id quod omnes credimus. Sed neſcio an Caietanus illud prius verbum (*dabo*) ad ſolam crucē reſtringat nec ne. Ac neceſſe quidem eſt iſtud verbū *dabo* quod tam ſignificanter dicitur, ad certum aliquod tēpus reſtringi, Sed non reperio vbi Caietanus deſcripſerit illud tempus ad quod hæc datio reſtringitur. Cœnam Domini excluſit, ſed quid aliud incluſerit neſcio. Vt autem rectè cauit, ne quas abſurdas interpretationes in ſcriptum referret, ſic fortè nō vidit ſe aliquid inexplicatum prætermittere. Ex ijs autem dicit, conijcio eius interpretationem ita ſupplendam eſſe, *& panis quem ego dabo, dum in cruce patiar & moriar, eſt caro mea, quam dabo pro mundi vita*. Niſi enim hoc dicat, non video quid velit dicere. Et huc ſanè tendunt ea Caietani verba, quibus dicit *Chriſtum manifeſtiſsimè explicare panem hunc fore paſſionem & mortem ſuam*. Porrò ſi ea interpretatio ponatur: mox quærendum eſt *cuinám fiet ea prior datio*, quæ promittitur? *panis* (inquit) *quem dabo*. Quæro cui dicit ſe daturum, Deóne an hominibus? Si Deo, tunc neceſſe eſt, vt interpretemur, *panis quem ego dabo*, id eſt, *quem offeram Deo*. Sed ea interpretatio nec eſt vera, nec veriſimilis: propterea quòd nomen *panis*, per quē cibus & nutrimentū intelligitur, de cibi datione agi declarat.

I. Cibus autem potius homi-

minibus datur, quàm Deo. Quorſum enim diceretur, cibus quem ego dabo Deo, eſt caro mea? Soletne cibus dari Deo? Deinde oblatio quæ Deo facienda eſt, in poſteriore membro ſignificatur, vbi ait: *ſe carnē ſuam daturum, id eſt, oblaturū Deo pro mundi vita.* II.
Prior igitur datio ad nos: poſterior ad Deum referenda eſt, vt ſenſus ſit, *panis*, ſeu cibus, *quem ego* vobis *dabo*, non eſt profanus, ſed ſanctus. Eſt enim caro nō alterius ſed mea, qui ſum panis vitæ, & illa quidem ſacra non ſolùm quòd mea ſit, ſed præterea etiā quia per me *offeretur Deo*, non ad meam priuatam vtilitatem, *ſed pro mundi vita*. Hac enim ratione donum Chriſti commendatur, & longè excellentius fore oſtenditur, quàm fuerat manna Iſraelitarum in deſerto. Præterea cùm eadē ſit dationis ratio in his duobus locis, *filius hominis dabit vobis panem permanentem in vitam æternam*, & *panis quem ego dabo, caro mea eſt*: Cumq; manifeſtè cōſtet in priore loco Chriſtum de illa datione agere, quæ fit hominibus & nō quæ fit Deo *filius* inquit *hominis dabit vobis*. Conſequens eſt, vt in poſteriore etiam dicat ſe hominibus daturum, quando ait: & *panis quem ego dabo*. III.
Qui ſenſus valde confirmatur ex eorum qui aderāt apprehenſione. Illi enim putantes Chriſtum dicere, *panis quem ego dabo* vobis *caro mea eſt*, quæſierunt: *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Quando interrogant, quomodo poteſt nobis dare carnem ſuam ad manducandum, ſatis manifeſtè inſinuat ſe putaſſe Chriſtum *ipſis promiſiſſe carnem ſuam in panem*, ſeu quod idem eſt, vt manducaretur. Nec eorum intelligentiam Chriſtus reprehendit, ſed potius confirmauit, dicens: *niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*. Ex his omnibus cauſis & rationibus liquidò apparet Chriſtum in priore illa ſua datione quā pro- IIII. V.

VI. Vide caput 9. huius libri.

miſit, dicens: *& panis quem ego dabo*, cibum nobis, nõ Deo ſacrificium promiſiſſe. Et in hac quidem re omnes antiqui patres vna voce conſentiunt. Quo ſemel poſito: iam iterum quæro, quo tandem modo Chriſtus promittit nobis cibum? Aut enim ſignificat ſe daturum nobis hunc cibum ſpiritaliter tantùm, aut tam in ſpiritu quàm in Sacramento. Si conceditur, quòd promittit ſe daturum tam in ſpiritu quàm in Sacramento, nihil eſt cur vltra contendamus. Hoc enim ſolùm eſt quod quærimus. Sin promittit ſe daturum nobis panem aut cibum ſpiritaliter tantùm, iam eò reuertimur, vnde primùm incœpimus, vt quæramus cur iſta datio in futurum reijciatur, cùm ſpiritalis manducatio non minus olim data ſit ante incarnationẽ Chriſti, quàm etiam tunc dabatur, quando Chriſtus dixit: *pater meus dat vobis panem de cælo verum?* Nam illum ſpiritalem cibum Chriſtus vna cum patre ſuo ſemper dat. Quorſum ergo bis dicitur, & tam ſignificanter dicitur, *filius hominis dabit vobis*, &, *ego dabo*, Si alio modo non dabitur nobis cibus à filio hominis poſthac, quàm antea datus fuit ab ipſo & à patre eius? Huc tãdem res redijt, vt in illa interpretatione, quæ negat iſta verba pertinere ad Sacramentum Euchariſtiæ, duo errata eſſe videãtur: vnum, quod inſinuat Chriſtum antea non declaraſſe ſeipſum panem viuum eſſe per humanam ipſius naturam verbo vnitam, longè quippe aliter factum eſſe iam prius oſtendi, cùm diceret *ſe panem viuum eſſe qui de cælo deſcendit*, quod vtique per incarnationem euenit. Alterum erratũ eſt, quod in hoc orationis membro, *& panis quem ego dabo* illud verbum *dabo* aut ad ſpiritalẽ dationem referunt, & tunc ſuperuacaneam Chriſti promiſsionem faciunt, quaſi de nouo nunc demum promittat quod ab antiquo ſemper dedit, aut prorſus inexplicatum re-

relinquunt, vt mihi videtur Caietanus feciſſe. Ita enim vbique temperauit orationem, vt nunquam explicet quando, aut vbi, aut quomodo illa prior datio præſtabitur, quam tamẽ & notat, & vrget, dum affirmat ſignificanter dictum eſſe, *dabo, non do, quoniam futura erat donatio.* Longè ſatius fuiſſet, vt neq; ille doctiſsimus vir, neque alius quiſquam conatus eſſet contra vniuerſæ antiquitatis ſcholam & authoritatem, negare hæc verba de Sacramento Euchariſtiæ intelligi debere. Ac neque illud quidem ſatis verè dictum eſt à Caietano, quod illa verba, *caro mea eſt quam dabo pro mundi vita*, per iſta explicantur, *niſi manducaueritis carnem filij hominis.* Nam cùm Chriſtus duplicem dationem commemoret: vnam, qua dabit nobis carnem ſuam in cibum: alteram, qua dabit eandem carnem ſuam pro mundi vita. Cumque Iudæi non de poſteriore iſta datione, quæ fiet pro mundi vita, ſed de illa priore, quę in cibum fiet, quęſierint, dicentes: *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum!* Et Chriſtus de hac datione reſponderit, *eos non habituros vitam, niſi manducent carnem & bibant ſanguinem ſuum*: iamque antè probatum ſit priorem illam dationem ad Euchariſtiæ Sacramentum ſpectare: fruſtra id agit Caietanus, vt hæc verba, *niſi manducaueritis carnem filij hominis*, immediatè connectat cum illis, *caro mea eſt pro mundi vita*: cùm ad illa quidem pertineãt, ſed non niſi alijs interiectis, quæ ſignificabant carnem Chriſti nobis in cibum dandam. Vt plena huius loci ſententia hęc ſit. Niſi manducaueritis carnem meam, quam ego vobis in panem ſeu in cibum dabo, quam eandem dabo etiam pro mundi vita, non habebitis vitam in vobis. Chriſtus igitur propriè ac germanè loquitur, vt de illa datione carnis ſuæ, quæ dabitur nobis in cibum; ſic de illa manducatione, qua caro ſua prout

In comment. in cap. 6. Ioan.

ab illo in cibum nobis dabitur, ita etiam à nobis inſtar cibi manducabitur, quod proprijſsimè fit in Eucharistiæ Sacramento: qua de re dicetur poſthac aliquanto copioſius.

CONFVTATVR ETIAM ille ſenſus, quem alius quidam Theologus inſigni doctrina præditus his Domini verbis tribuit, *panis quem ego dabo, caro mea eſt.*

CAP. V.

POſtquam illam Caietani interpretationem confutaueram, occurrit alia non diſsimilis interpretatio viri longè optimi & doctiſsimi, cuius nomen honoris ipſius cauſa taceo. Verba verò eius hæc ſunt: Ob hoc Dominus ait ſe daturum carnē ſuam edendam, quia ipſe ſecundum humanam naturam ex voluntaria obedientia patri quidem nouo modo carnem ſuam in cruce dedit: nobis verò non niſi per fidem etiam tunc edendam carnem ſuam dedit: hoc autem eſt, illam vetere & non nouo more edendam dare, *nouo modo in cruce carnem ſuam nobis daturus erat*, ſicut iam tunc eam dabat, exponendo eam varijs miſerijs & afflictionibus. Sicut enim iuxta illud Ioannis 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam: Deus pater dedit filium, vt naſceretur in ſimilitudine carnis peccati & crucifigeretur. Vnde ab Eſaia filius Dei nobis datus dicitur: Ita & Chriſtus rectè dicitur carnem ſuam edendam, & ſanguinem bibendum dediſſe,

266
diſſe, dum crucifixus eſt & mortuus, (& pòſt,) vnde vbi ait: Dabo carnem meam, non ſolùm dicit ſe eſſe panem vitæ, ſed & carnem eſſe cibum, & ſanguinem potum: nomine carnis & ſanguinis miſeriã & mortem ſuam, & non ſolùm humanam naturam ſignificans. RESPONSIO. Iſta interpretatio liberauit me illa difficultate qua prius ob verba Caietani obſcuriora laborabam. Nam apertè ſic exponit iſta verba: *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*: vt declaret dixiſſe dominũ *ſe nouo modo in cruce carnẽ ſuã* nobis *daturum eſſe*. Vnde iam ſic Domini verba interpretatur. Panis quem ego dabo vobis nouo modo in cruce, vel dũ cruci figar vel moriar, caro mea eſt quã ego dabo pro mundi vita. Primùm non video quod caro Chriſti nouo modo nobis datur in cruce. Licèt enim patri nouo modo in cruce offeratur, tamen nobis non niſi per fidem etiam tunc datur. Modus autem manducandi Chiſtum crucifixum per fidem, nouus non eſt: cùm omnes patriarchæ & prophetæ iam inde ab origine mundi carnem Chriſti illo modo manducauerint. Non eſt igitur aliqua ratio allata, cur Chriſtus in futurum reiiceret illam ſuæ carnis dationem, quæ non aliter nobis aut in cruce, aut è cruce pòſthac dabitur, quàm ab initio mundi ſemper data fuit. Deinde ſi principium ſit progreſſus orationis Chriſti, rectè animaduertatur, apparebit eum ſeorſim à patre ſuo quendam cibum nobis promittere. Ab initio enim dixerat: *Operamini cibum permanentem quem filius hominis dabit vobis*. Et mox patris donum interponendum eſſe docuit, vt ad ſuum rectè atque ordine perueniretur. *Pater meus* (inquit) *dat vobis panem de cælo verum. Ego ſum panis vitæ, omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: qui credit in me habet vitam æternam*. Pater igitur dat filium ſuum (qui eſt panis

Filius hominis dabit.

Pater dat.

verus)mundo & generi humano, per incarnationem eius. Idem dat nos filio per viuam fidē in Chriſtum: & propter illam fidem dat nobis vitam æternam. Hæc omnia pater, hoc eſt, tota Trinitas dat. Sed *filius hominis iuſsit nos etiam operari panem & cibum, quem ipſe nobis dabit*, & eum cibum iam tandem explicans, *& panis* (ait) *quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Hic alia dādi ratio in filio hominis quærenda eſt, quàm in patre: nam & perſona filij ſignificanter à patris perſona diſtinguitur: & aliud tempus dandi filio, aliud patri aſsignatur. Hinc enim dicitur, *pater meus dat vobis panem*: inde autem, *filius hominis dabit vobis cibum. & panis quem ego dabo caro mea eſt*. Talis ergo interpretatio quærenda eſt in filij dono, qualis penitus non cadat in patris donum. Nam ſi eodem vtraque modo accipiēda eſſent, nunquam adeo diſtinctè ac variè proponerentur. At verò ſi panem filij hominis, quem ipſe nobis dabit in cruce per fidem nobis dandum interpretamur, nihil ſpeciale in filij dono inuenitur, de quo tam ſignificanter bis dicat *ſe nobis quendam cibum daturum eſſe*. Nam etſi ratio qua filius patri per mortem ſuam dat ſe in cruce pro mundi vita, ſit ipſi valde peculiaris, & propria: tamen ratio qua per fidem viuam velut crucifixus & mortuus, vel dum crucifigitur & moritur nobis dat panem mortis ſuæ, non eſt illius perſonæ aut naturæ aſſumptæ propria, ſed vnà cum patre omni modo communis eſt. Quocunque enim modo filius dat ſeipſum nobis dum in cruce moritur, eodem et pater dat filium nobis. Vterque enim dat eum cibum nobis per fidem & charitatem. Cæterum ſi nolumus dona patris & filij, quæ in euangelio clariſsimè diſtinguuntur, commiſcere inter ſe & confundere, ſic interpretandum eſt donum filij, vt aliqua ſaltem ratione differat à dono patris, quod vti-

vtique in cœna Domini perſpicuè cernitur. Ibi enim filius hominis qua homo eſt, & quia ſecundum aſſumptam naturam patre minor eſt, dabit nobis cibum, qui eſt caro ſua. Dabit inquam per manus perſonæ ſuæ vnitas, cuiuſmodi manus pater ſibi vnitas non habet. Et ideo filius aliquo alio modo illum cibum nobis dabit, quàm quo pater eum dat. Quapropter longè verior interpretatio eſt & magis conſentanea primæ ac literali verborum intelligentiæ, vt dicamus Chriſtum promittere nobis Euchariſtiam, quàm fidem ac dilectionem mortis paſsioniſque ſuæ. Deinde ſi voluiſſet Chriſtus dicere, *panis quem ego dabo vobis in cruce, eſt caro mea pro mundi vita.* Cùm caro ſua pro mundi vita fuerit, etiam data in cruce, priorem donationem ſuam non ferè aliter quam per eandem ipſam donationem explicaſſet: velut ſi dixiſſet: *panis quem ego dabo vobis in cruce, eſt caro mea, quam ego dabo in cruce pro mundi vita.* Crucis verò nomen & ratio certiſsimè conuenit poſteriori membro, & illi parti orationis, quæ caro Chriſti dicitur danda eſſe pro mundi vita: non perinde autem priori parti, in qua caro Chriſti danda in cibum promittitur. Etenim cùm duplex datio in verbis Chriſti commemorata ſit, quarum poſteriorem conſtat in cruce impletam fuiſſe: putandum eſt priorem dationem alibi quàm in cruce complendam eſſe: præſertim cùm nihil in cruce aut dictum aut ſpecialiter factum appareat, per quod Chiſtus dederit ſe nobis in cibum alio modo, quàm vel ante vel poſt crucem ſuam fecerit. Nam ſi modus in cruce dandi nobis cibum eſt per fidem charitate formatam, non video quin eo modo & ante incarnationem ſuam & poſt aſcenſionem in cælos ſemper nobis cibum dederit, & ipſe & pater eius. Quærenda potius eſt talis datio carnis Chriſti in cibum animæ noſtræ, in qua li-

Nota.

cet

licet eadem carnis Chriſti ſubſtantia nobis exhibeatur, quæ in cruce dabatur pro vita mundi, tamen alius exhibendi modus appareat, vt non fruſtrà dictū ſit, panis quem *dabo*, eſt caro quam *dabo* pro mundi vita. Iam verò in cœna Chriſtus tam ſignificāter dedit carnem ſuam diſcipulis nouo modo, vt verbo ipſo denunciarit ſe tunc iſtam promiſsionem explere. *Dedit* enim, dicens: *accipite*. dedit *cibum*, dicens: *comedite*: dedit cibum *qui eſt caro ſua*, dicens. *hoc eſt corpus meum*. Dedit *carnem ſuam quam dat pro mundi vita*, dicens: hoc eſt corpus meum *quod pro vobis datur*. Dedit corpus ſuum nouo modo, nimirum ſub ſpecie panis, vt non immeritò etiam diſcipulos admoneret cur dixerat: *& panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Licet enim Chriſtus nominando *panem* non intellexit materialem: tamen ipſum nomen *panis* non fruſtrà interpoſitum eſt à ſapientia Dei. Tunc autem quis non maiorem in modum obſtupeſcat hanc impletionem in cœna Chriſti factam, quæ tam expreſsè tamque ſignificanter promiſsioni apud Ioannem facere reſpondet, velut alienam & minus Germanam reiici, aliamque in cruce indagari, vbi nec vllū exhibitæ promiſsionis verbū auditur, nec vllus nouus dati modus cibi modus exprimitur. Ac de iſta quidem promiſsione Chriſti (*panis quem ego dabo, caro mea eſt.*) Hæc dixiſſe ſufficiat. Si quid autem præterea requiritur, in ijs quæ ſequuntur, id abundè ſupplebitur.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

ÆTIOLOGIA, SEV RATIO eius quod dictum eſt, etiam demonſtrat de Sacramentali manducatione apud Ioannem agi.

Hic eſt ſecundus ex octo interpretādi modis.

CAP.

CAP. VI.

VBI à verborum ſingulorum propria ſignificatione diſceſſerimus, proximas tenet reddita dictorum ratio, ſi quæ inueniri poterit. Nam cùm legamus libellum repudij Iudæis permiſſum olim fuiſſe, atque inde colligi videatur diuortium aliquando apud fideles permitti poſſe, Chriſtus ratione veteris permiſsionis reddita, demonſtrauit iſtam collectionem infirmam atque imbecillem eſſe. Fuit enim libellus ille permiſſus, non quòd ea res ex ſe honeſta foret, ſed *propter duritiam cordis Iudæorum*. Vt iam ſimilem permiſsionem ſperare nemo debeat, niſi qui ſimilem cordis duritiam ſibi etiam ineſſe fateatur. Ac tum quidem ille in Chriſtianorum numero haberi non meretur, qui *ſecundum duritiam cordis theſaurizat ſibi iram in die iræ*. Itaque ex ratione allata mens loquentis pleniſsimè cognoſcitur, dum id quiſque ſeriò cogitaſſe intelligitur, cuius etiam rationem non dubitauit reddere. Multis autem modis ratio reddita intelligitur. Nam & qui poſt ſimplicem enunciationem, poſteà id in medium affert, quo verbum aliquod præcedens ad certam & indubitatam ſignificationem reſtringatur: quique id ipſum quod profert iuratus aſſeuerat, & qui ſæpius idem repetit, & qui cauſſam prioris dicti affert, & qui per ſimilitudinem quandam animi ſui ſenſa declarat: id vtrique feciſſe animaduertitur, vnde quod primùm ſua verba ſignificabant, magis magiſque confirmatum eſſe exiſtimetur. Cùm igitur Chriſtus dixiſſet: *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*, videretque Iudeos ea verba intellexiſſe de carne ſua in cibum accipienda, adeò nihil de priore dicto immutauit, vt iuratus diceret: *Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis*

Auguſt. de vtilitate credendi ad Honoratū. Cap. 3.

Mat. 19

Rom. 2.

Quot modis ratio dicti redditur.

Ioan. 6.

Heb. 6.

huis vitam in vobis, Omnis autē controuerſiæ hominum finis, ad confirmationem eſt iuramentum. At Chriſtus
II. neque ea re contentus, nomen carnis & *manducationis* ſæpe inculcat, genere verborum ſeptem ferè aut octo vicibus paululum immutato, vt meritò huc liceat accommodare quod Auguſtinus quandoque dixit, cùm acerrimè contenderet laborem & operationem manuum, quam Apoſtolus toties repeteret nō aliter quàm litera ſonabat intelligi debere. *Neque enim* (inquit) *aut vno in loco, aut breuiter dictum eſt, vt poſſit cuiuſuis aſtutiſſimi tergiuerſatione in aliam traduci peruertiq́ue ſententiam*. Tertiò, cauſalem coniun-

De opere monach. cap. 13.

III. ctionem Chriſtus tandem intulit, dicens: *Caro enim mea verè eſt cibus*, quaſi dicat, Ne miremini quòd mā ducandam eſſe dico meam carnem, & potandum ſanguinem: caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: quo ex loco ſic mihi videor ſine iniuria colligere poſſe. Quod verè cibus eſt, verè manducatur: ſed caro Chriſti eſt verè cibus, igitur caro Chriſti verè manducatur. Verè autem manducare apud homines qui ex corpore & ſpiritu conſiſtunt, eſt & corpore & ſpiritu manducare, vt ita totus homo impleat manducationis officium. Iam verò cùm talis manducatio non niſi in Euchariſtiam cadat, fatendum eſt carnem Chriſti quæ ſic hominibus promittitur vt verè cibus eſt, verè manducandam in Euchariſtia tunc promitti, cùm dicitur: *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*. De illius enim carnis, quæ ibi promittitur, mãducatione, in ſubſequentibus agitur. Poſtremò, ſimilitudinem ab ipſo Chri-

Verè mā ducare quid ſit.

IIII. ſto allatam audiamus: *Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me*. In quibus verbis eiuſmodi manducatio Chriſti deſcribitur, vt qui manducat ipſum, ſic debeat viuere propter ipſum, quemadmodum ille

miſſus

miſſus à patre viuit propter patrem. Sed Chriſtus in carne miſſus, viuit propter patrem, non veluti participans vitam per fidei, ſpei, aut per cætera ſpiritus ſancti dona, (quæ à patre extrinſecus veniăt) verùm velut participans vitam ex ipſa patris ſui ſubſtantia naturaliter præſente & corporaliter in carne ſua inhabitante: ergo etiam expreſsè docetur nos manducantes Chriſtum, viuere propter ipſum, non iă quia per fidem viuam participamus de illius carne extra nos agente, & ad dexteram patris conſtituta: ſed quia etiă participamus de illius carne corporaliter in nobis manente & inhabitante, dum Euchariſtiam dignè accipimus. Tolle autem hanc præſentiă Chriſti corporalem in nobis (quæ per ſolă Euchariſtiam efficitur) vt omnino Chriſti ſimilitudo non ſeruat partium ſingularum proportionem. Nă ſi nos Chriſtum ſola fide ac ſpiritu manducantes, ſic tantum propter illum viuimus: vtiq; inferret Arianus etiam filium à patre miſſum non aliter quàm fide ac ſpiritu propter patrem viuere. Sin illud certum ſit filium in carne miſſum propter patrem non fide ſed ſubſtantia præſentem viuere: vtique & illud conſtat nos dum manducamus Chriſtum non fide iam ſola, ſed etiam per naturalem filij ſubſtantiam nutriri ad vitam æternam. Ex illa quippe Chriſti ſubſtantia tam ore quàm ſpiritu percepta, fit vt Chriſtus alat nos tanquam verè cibus, quia cibi natura eſt, per corporalem præſentiam eum alere, qui cibum re ipſa capit, & ritè digerit, non quod Chriſtus in nos vertatur, ſed nos in illum, quia fortior nobis eſt. Quapropter ex iſtarum rationum vi neceſſario concludendum eſt propriè hic agi de carne Chriſti non tantùm ſpiritu, ſed corporaliter participanda, prout in Euchariſtia exhibetur.

Vide Hilariŭ lib. 8. de Trinitatė. & Cyril. in Ioan. lib. 10. capite 13. Baſil. in ep. 141.

Aug. confeſſ. lib. 7 cap. 10.

Ex

Hic eſt tertius ex octo interpretandi modis.

EX EORVM QVÆ IN SEXTO capite Ioannis leguntur circunſtantia, ac præcipuè ex differentia quæ eſt inter patris ac filij donationem, probatur de Sacramentali manducatione, illa tamen quæ ſimul ſpiritalis eſt, verſus finem capitis agi.

CAPVT VII.

Solet circunſtantia ſcripturæ illuminare ſententiã Aug. lib. 83. q. 69. Ioan. 6.

POſt verborũ proprietatem, & rationem eorum quæ dicebantur, explicatam: nulla res alia voluntatem loquentis æquè aperit, ac totius rei orationiſque circunſtantia. Illa verò in ſexto capite Ioannis eſt eiuſmodi. Primùm Chriſtus quinque millia hominum quinque panibus & duobus piſcibus ſatiat. Deinde turbas ventris cauſa eum ſectantes iubet *operari cibum quem ipſe illis dabit*. Sed partim ne putarent eum ita ſibi aliquid ſumere, vt Deo interim idipſum detraheret: partim vt per doni paterni explicationem animos eorum ad ſuum donum æquiore animo accipiendum præpararet: intermiſſa paulíſper eius cibi declaratione, quem ipſe daturus

I. erat, *non Moyſem dediſſe panem de cælo, ſed patrem ſuum ait dare ipſis panem de cælo verum, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo, & quiſnam ſit hic panis declarãs:*

II. *Ego inquit ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam: ſi quis manduca-*

III. *uerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ex quo iam quatuor hæc didicimus. Non Moyſem dediſſe, ſed patrem dare panem verum. Chriſtum in carne miſſum eſſe hunc panem. Eum qui credit in Chriſtum, manducare ex hoc pane. Qui ſic manducat, eũm viuere

uere in æternum. Ita præparatis auditorum animis,
Chriſtus eò conuertit orationem, vnde primùm in-
choauerat. Cùm enim antè dixiſſet, *operamini cibum*
quem filius hominis dabit vobis. Nunc genus & cibi
nomen enuncians, *& panis* (inquit) *quem ego dabo, ca*
ro mea eſt pro mundi vita. Et ſanè operæprecium eſt
animaduertere quemadmodum hæc verba & quæ
iam deinceps conſequuntur, illis prioribus reſpon-
deant. Ibi dicebatur: *filius hominis dabit*. Hic autem,
ego dabo, ibi, *cibum*, hic, *panem qui eſt caro ſua*. Ibi pro-
mittebatur *cibus qui permaneret*, & hic dicitur, *qui*
manducat meam carnem, in me manet & ego in illo. Ibi
cibus dicebatur *manere in vitam æternam*, & hic dici-
tur, *qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*.
Ibi turbæ iubebantur *illum cibum operari*, & hic iu-
bentur *eundem manducare*, ſi nolint carere vita æter-
na: Quod igitur antè paucis dicebatur, *operami-*
ni non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æter
nam, quem filius hominis dabit vobis, Hoc ipſum mul-
tò fuſius explicatur initio ab his verbis facto: *&*
panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Hinc
iam & illa quatuor notari poſſunt. Genus ci-
bi quod filius dat, eſt caro ſua. Operatio huius cibi
eſt manducatio. Fructus eiuſdem cibi, eſt manere in 2.
Chriſto. Finis poſtremus, vitam æternam habere.
Ex his quę dicta ſunt, apparet non minus filij quàm 3
patris quoddam donum eſſe: patrē iam dare, filium 4.
non quidem adhuc dare, ſed ſe *daturum* promittere.
Pater dat mundo filium ſuum in carne, & dat nobis
fidem in filium ſuum incarnatum, vt per donum
fidei ex illo manducemus, & in æternum viua-
mus. Filius iam in carne ambulans, nihilominus ite-
rum promittit carnem ſuam in cibum, vt in illo *ma-*
neamus, & ipſe in nobis, atque vt hunc panem man-
ducantes, vitam æternam habeamus. Sed quoniam

inter patris ac filij donum, & permulta ſunt ſimilia, & nonnulla diuerſa, viſum eſt primum ob oculos Lectoris proponere ipſa Euangelij verba: Deinde illa in vnum cumulabimus, quæ ſimilia vtrique ſunt. Poſtremò aũt diſsimilitudines colligemus, quod vbi fecerimus, eadẽ opera ſatisfactum illis erit, qui propterea de ſpirituali tantum manducatione in poſteriore ſexti capitis parte agi putarunt, quia totus præcedens ſermo fuerat de actibus merè ſpiritalibus, quales ſunt actus credendi & amandi. Cæterum gratia Dei auxiliante, nos demonſtrabimus de alijs quoque actibus hic ſermonem haberi: quales ſunt actus *manducandi carnem Chriſti, prout illa in futurum promittitur, manendi in Chriſto, viuendi propter illum in nobis præſentem*, & qui ſunt eiuſdem generis: ex quo inferetur non de ſpiritali tantùm, ſed præterea de Sacramentali manducatione carnis Chriſti verſus finem capitis agi.

Cait. in d. Tho. 3. p. q. 80. artic. 12.

DE PATRIS AC FILII DOno verba D. Ioannis ſeorſim proponuntur.

CVm tã pater quàm filius nobis donet panem, cuius manducatione in æternum viuamus: vt res alioqui difficilis & obſcura magis eluceſcat. Verba D. Ioannis quæ ſunt de patris dono primùm deſcripſi, ac deinde apponam illa quæ habetur de proprio filij dono.

VERBA D. IOANNIS QVÆ ad patris æquè ac filij donum pertinent.

5. Opus Dei. FIliũ hominis pater ſignauit Deus. Dixerũt ergo turbæ ad Ieſum: Quid faciemus vt operemur opera Dei? Reſpõdit Ieſus & dixit eis: *Hoc eſt op⁹ Dei,*

vt

vt credatis in eum quem miſit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus & credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducauerũt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt, panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Ieſus: amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo: *ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei eſt, qui de cælo deſcendit & dat vitam mundo*. Dixerunt ergo ad eum, *Domine ſemper da nobis hunc panem*. Dixit autem eis Ieſus: Ego ſum panis vitæ, *qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vnquam*. Sed dixi vobis quia vt vidiſtis me, & non crediſdiſtis. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet*: & eum qui venit ad me, non eijciam foras, quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me Hæc eſt enim voluntas eius qui miſit me, patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo: ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die. Hæc eſt autem voluntas patris mei qui miſit me, *vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*: Et ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: & dicebant: nónne hic eſt filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo deſcendi? Reſpondit ergo Ieſus, & dixit eis: *Nolite murmurare ad inuicem, nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum*: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Eſt ſcriptum in prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me: nõ quia patrem vidit quiſquã, niſi is qui eſt à Deo: hic vidit patrem. Amen, amen dico vobis: *qui credit in me, habet vitam æternam*. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. *Hic eſt*

Exod. 16 Num. 11. Pſal. 67.
1. 2. Pater dat
3. Panem verum.
4. Nobis.
6. Iudæi petunt hũc panem.
7. Venitur ad Chriſtum.
8. Credens in filium habet vitam.
10. Spiritalis attractio.

Ex Chriſto manducatur vt māna impleatur. *panis de cælo deſcendens: vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

VERBA D. IOANNIS QVÆ proprijſsimè ad filij donum pertinent.

5 Opus hominum. 1. Filius. 2. Dabit. 4. Pro mūdi vita.

O*Peramini* non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, *quem filius hominis dabit vobis* (ac poſtea.) *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.* Litigabant ergo Iudei adinuicem, dicentes: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Dixit ergo eis Ieſus, amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. *Caro enim mea verè eſt cibus*, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, *in me manet & ego in illo.* Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, *& qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Hic eſt panis qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna & mortui ſunt. Qui manducat *hunc panem*, viuet in æternum. Hæc dixit in ſynagoga docens, in Capharnaum. Multi ergo audientes ex diſcipulis eius, dixerunt: durus eſt hic ſermo: & quis poteſt eum audire? Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum quia *murmurarent* de hoc diſcipuli eius, dixit eis: Hoc vos ſcandalizat? *Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? Spiritus eſt qui viuificat: caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt.

6. Abhorrent Iudæi. 3. Verè cibus. 7. Manet. 8. Viuet propter me. Mandu-cat. 9. hunc panem. 10. Corporalis aſcenſus.

Quot

242

Quot modis patris & filij dona conueniant.

CVm pater & filius vnum ſunt, quoad diuinam naturam, vterque dat nobis eundem panem vi- 1.
tæ, id eſt, verbum incarnatum. Vtriuſque donum ap- 2.
pellatur & hic panis, & Chriſtus. De vtriuſque dono per fidem ab vtroque donatam comeditur. Qui 3.
manducat vt debet ex vtriuſuis dono, reſuſcitatur & in æternū viuit. Et res donata (quoad Chriſtum) 4.
& digna manducatio ex vtriuſuis dono, implet veteris mannæ figuram. Vtraque manducatio eſt ſpiritalis. Nam *ſpiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt* 5.
quicquam. Verba (inquit Chriſtus) *quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*. Nec enim de corpore iam 6.
ad animalem vitam nutriendo, ſed de ſpiritu paſcendo agitur.

QVOT MODIS PATRIS ET filij dona differant.

PAtris, hoc eſt, totius Trinitatis donum eſt gratia tantum ſpiritalis, qua venitur ad Chriſtum, (per fidem) & manducatur ex Chriſto vero pane.	FIlij hominis, hoc eſt, verbi incarnati, donū eſt gratia ſpiritalis & ſimul ſacramentalis, qua manetur in Chriſto & manducatur caro Chriſti verè cibus.

1. Deus patr.	1. Alia perſona quæ dat.	1. Filius hominis.
2. Dat	2. aliud tempus dandi.	2. Dabit.

3. Panem de cælo verum.	3. alia rei datæ deſcriptio.	3. carnem ſuam verè cibum.
4. Vobis.	4. alia perſona cui datur.	4. vobis & pro mundi vita.
5. Hoc eſt opus Dei vt credatis in eũ quẽ miſit ille.	5. alius hic alius illic operatur.	5. *Operamini cibum* quem filius hominis dabit vobis.
6. Iudæi audiẽtes quod non Moyſes ſed Chriſti pater da: panẽ de cęlo verum, dixerunt: *Domine ſemper da nobis panem hunc.*	6. Alia opinio auditorum de vtroque dono.	6. Iudæi audientes quod Chriſtũs promittebat ipſis carnem ſuam, dixerunt: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?*
7. Dixit eis Ieſus, ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet, qui credit in me non ſitiet vnquam.	7. Alius doni medius effectus per quẽ hic ad Chriſtum venit ille in Chriſto manet.	7. Dixit eis Ieſus, qui mãducat meã carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in eo.
8. Qui credit in me habet vitã æternam.	8. eadem vitæ cauſa aliter præſens.	8. Qui manducat me & ipſe viuet propter me.

9. Patres veſtri manducauerũt manna in deſerto, & mortui ſunt. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.	9. Eadem figura duobus manducandi modis impletur.	9. Nõ ſicut patres veſtri manducauerunt manna & mortui ſunt. Si quis manducauerit hunc panem, viuet in æternum.
10. Nemo poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me, traxerit eum.	10. Alia murmurantibus data reſponſio.	10. Si videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.

COLLEGIMVS AVTEM differentias ferè decem, quas nunc ordine, quàm breuiſsimè fieri poteſt, explicantes, vnam ſoli ſpiritali, alteram & ſpiritali & ſacramentali manducationi accommodari debere oſtendemus.

Prima differentia in ijs qui dant.

AC primùm quis dabit quin cùm pater ſpiritus tantùm ſit, ei conueniat ſpiritaliter tãtùm nos paſcere? Cumque filius carnem pro nobis aſſumens, ſecundum eam ſacramenta viſibilia inſtituerit, quis dubitet, quin eius etiam perſonæ reſpondeat, vt non ſolum ſpiritaliter nos vna cum patre paſcat, ſed etiã ſacramentaliter quandoque paſcendos promittat? Maximè cùm ſe non modo filium ſed præterea fi- 1. Pater. 2. Filius hominis.

 lium

lium hominis iam nomine: ? quo verbo indicat ſe daturum nobis panem vt homines hominibus dare ſolent, hoc eſt non ſolo ſpiritu, ſed etiam corporali & ſacramentali modo.

Secunda differentia in tempore dandi.

Sequitur in ipſa datione temporum diuerſitas. De patris enim dono ſic dicitur: *Pater meus dat*, de ſuo
2. Pater dat autem dono filius dicit, *& panis quem ego dabo*. Cur verò cùm pater iam nunc det panem ſuum, filius tamen qui dat eundem panem quem pater dat etiam
2. Filius dabit. daturum ſe poſthac dicit, niſi quia aliter poſthac dabit filius panem ſuum, quàm pater, hoc eſt, tota Trinitas, vel eum iam dat, vel eum antea dedit? Trinitas verò tota carnem etiam filij hominis omnibus patriarchis & prophetis ab initio mundi ſpiritu participãdam dedit. Cùm ergo filius non obſtante illo patris & ſuo dono, adhuc promittat ſe daturum idipſum quod antea in ſpiritu datum erat, nec putandũ ſit quod fruſtra tam ſignificanter dicat, *filius hominis dabit & ego dabo*: extra omnem controuerſiam ſignificat ſe non ſola ſpiritali modo carnem ſuam daturum, vt hactenus data eſt, ſed præterea ſecundum ſacramentum aliquod. Cuius ſacramenti naturã, vim
Matt. 26. & poteſtatem licet pater æquè operetur ac filius, tamen id filij donum propriè dicitur, tum quia filij ore ac manibus primo inſtitutũ eſt, tum quia in perſona
1. Cor. 11. Chriſti ob mortem eius annuntiandam in hodiernum diem conſecratur.

Tertia differentia in rei datæ diuerſis appellationibus.

Vt alias differentias quæ ſunt inter patris & filij donum, velut minus perſpicuas relinquamus: illud
3. panem verum. liquidò apparet patris donum appellari *panem de cælo verum*: filij verò *carnem Chriſti verè cibum, & ſan-*
3. carnẽ verè cibũ *guinem eius verè potum*. Plus autem ſignificantis cu-

iuſ-

iuſdam proprietatis per aduerbium hoc (verè) quàm per nomen illud (verũ) deſignatur. Neq; verò idem eſt apud Apoſtolum *verè vidua*, quod vera vidua. 1.Tim.5
Nam vera vidua eſt etiam ditiſsima fœmina quæ viro orbata eſt: non item *verè vidua* eſt, niſi tum viro tum cæteris mundi conſolationibus careat. Vtrũne igitur filius paſcit nos verius quàm pater? quoad rẽ ipſam quæ datur nullo modo, nam pater dat quod ſummũ eſt, *panem ſcilicet viuũ*, qui per incarnationẽ *de cælo deſcendit & dat vitam mundo*. Totum (inquã) Chriſtum tam Deum quàm hominem pater dat. Quid ergò eſt? vtique donum Chriſti appellatur *verè cibus*, quia propius accedit ad naturam cibi corporei, quàm donum patris quod tantum ſpiritali modo per fidem & dilectionem accipitur. Nam filij donum ſignificatur ita per manus Chriſti aut miniſtrorum eius dandum, & ita ore tenus à nobis accipiendum, vt rarò inter homines dari & accipi ſolet. Plus ergo corporeæ proprietatis in filij dono, quod verè cibus dicitur inſinuatur, licet plus interdum dignitatis in ipſo nomine *veri panis* comprehendatur. Sicuti manna etiam negatur fuiſſe *verus panis*, eò quod non tantam dignitatem obtinuit vt panis verus eſſet: cùm tamen verè panis fuiſſe non negetur, quia iſte (inquit Moyſes) *eſt panis quem dedit vobis dominus ad veſcendum*. Verè autem panis eſt, qui verè ad veſcendum datur. Cùm igitur caro Chriſti quam ſe daturũ promittit, ſit *verè cibus*, quoad nos: nec tamen ita dicatur *verè cibus* quaſi verius quod ipſius naturam paſcat nos quàm patris donũ, quod omnino eſt *verus panis*, nefarium id eſt cogitare, ſed quia verius accedit ad rationem cibi naturalis, cuius proprium eſt in os accipi: profectò ſecundum hanc realem & corporalem cibi rationem donum Chriſti appellatur *verè cibus*, adeo vt D. Chryſoſtomus Exod.16

C 5 di-

dicat: *Quid autem ſignat, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: aut quòd is eſt verus cibus, qui ſaluat animam, aut vt eos in prædictis confirmet, ne obſcurè locutum in parabolis arbitrarentur, ſed ſcirent omnino neceſſarium eſſe, v corpus comederent.* Sic igitur auctore Chryſoſtomo: Chriſti caro verè cibus appellatur, vt cibus abſque parabolis dictus eſſe intelligi debeat. Chriſti caro verè cibus, eſt cibus abſque parabola, id eſt, omnino comedendus. Quod autem nō parabolicè eſt cibus, vtique re ipſa & ratione aliqua corporali cibus eſſe iudicatur. Nam Deus aut diuina Chriſti natura non eſt cibus abſque parabola. Vnde lib. ad Enoxtium anathem. 11. Cyrillus ait *diuinitatis naturam minimè edi.* Sed ideo cibus dicitur, quia paſcit animam noſtram ad eam ſimilitudinem qua cibus paſcit corpus noſtrum. Parabolicè igitur ille dicitur panis aut cibus quem pater dat, non autem ille quem dat filius, quæ tota differentia pendet ab Euchariſtia, vbi Chriſtus verè dat in os corporis noſtri corpus ſuum in Sacramento, vt anima ex cibo intra ſe ſumto, & ſibi reipſa coniuncto vberius nutriatur. Hinc etiam eſt, quod Chriſti donum totis appellatur *caro & ſanguis*, non ſanè quaſi deitate vacuum ſit, *eſt enim ſpiritus qui viuificat, caro non prodeſt quicquam.* Sed quia non datur per ſolam fidem & charitatem (vt donum patris.) Verùm per Sacramenta viſibilia, quibus modis caro manducari & ſanguis bibi poteſt. Nam vi conſecrationis in Euchariſtia ſola caro, & ſolus Chriſti ſanguis adeſt. Anima verò & diuinitas per concomitantiam & neceſſariam ſequelam adeſt. Vnde Chriſtus donum ſuum per illa nomina nobis commendauit, quæ vi conſecrationis poſtea eſſent futura nobis notiſsima.

QVAR-

QVARTA DIFFERENTIA in eo conſiſtit quod patris donum nobis tantùm, filij verò & nobis, & Deo pro nobis datur.

PAter meus (inquit Chriſtus) *dat vobis panem de cælo verum.* Per patrem verò tota Trinitas intelligitur. Trinitas autem vt nobis dat panem, ita pro nobis aliquid offerre aut immolare non poteſt: quia nihil eſt Deo ſublimius, cui diuina maieſtas ſacrum faciat, cũ tamẽ omne ſacrificiũ ſublimiori ac omnino ſummæ poteſtati debeatur. Cæterum filius hominis qui per naturam humanam minor eſt patre, ita promittit ſe daturum nobis carnem ſuam, vt interim promittat ſe daturum, id eſt oblaturum eandem carnem Deo pro mundi vita. *Et panis* (inquit) *quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Cùm igitur filius bis dicat *ſe daturum carnem ſuam,* ſemel, *nobis,* & iterum: *pro nobis.* Cumque prioris dationis intelligentia pendeat à ſequente datione. Dicit enim ſe *daturum carnem ſuam,* & eam carnem *quam dabit pro mundi vita.* Qui abſque errore cupit ſcire quo pacto prior datio complebitur, animaduertat quo pacto poſterior datio completa eſt. Chriſtus autem nõ ſpiritu ſolo, ſed per interpoſitam ipſius rei ſubſtantiam impleuit poſteriorem dationem. Dedit enim, id eſt, obtulit Deo, carnem ſuam vſque ad mortem pro mundi vita. Promiſit igitur eandem carnem nõ ſpiritu ſolo, ſed per interpoſitam ipſius rei ſubſtantiam à nobis manducandam: quod vtique alibi non fit, quàm in Euchariſtiæ ſacramento. Nam quæ ratio patitur, vt priorem dationem à poſteriore ſeparemus: cùm poſterior ideo ſit adiecta vt priorem interpretaretur ac declararet? *Panis* (ait) *quem ego dabo,*

4. Vobis.

Ioan. 14.

4. Vobis & pro mundi vita.

Philip. 2.

caro

caro mea eſt. Quod quid eſt aliud quàm ego dabo carnem meã in panem, ſeu manducandam? At quænam caro eſt hæc? *quam dabo* (inquit) *pro mundi vita*. Quo igitur modo data eſt caro Chriſti pro mundi vita? non tantùm per fidem cordibus noſtris infuſam, ſed reipſa. In eadẽ ergo carnis veritate ac ſubſtantia prior datio accipienda eſt, in qua poſterior datio completa eſt. Deinde ſciendum eſt hoſtiam pacificam & pro peccato atque delicto (qualis hoſtia Chriſti fuit quam dedit pro mundi vita, factus
1.Ioan.2. *propitiatio pro peccatis noſtris, & pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris ſiue quæ in cælis ſunt:*
Coloſ.1. non ſolùm ſpiritu ſed etiam corpore, partim à ſacerdotibus ac leuitis, partim ab offerentibus atque à
1.Reg.1. ſtantibus manducari ſolitam eſſe. Hinc eſt quod *Helcana poſtquàm immolauerat, tum Hannæ vxori ſuæ partem honorificam, tum Phenennæ vxori alteri & cunctis filijs eius & filiabus partes dedit.* Quando autem Chriſtus ait: *& panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: ſignificat carnem quam dabit manducandam, eſſe eam ipſam quæ ſacrificabitur. Talem igitur dationem intelligit, qualis de re ſacrificata fieri ſolet: ea verò eſt non ſpiritalis tantùm, ſed præterea ſacramentalis datio & acceptio. Nam Sacramẽtum à ſacrificio, non rei ſubſtantia, ſed ſola ratione differt. Agnus quippe aut vitulus qui ſacrificiũ eſt qua ratione offertur Deo ſuper altare: idem ipſe ſacramentum eſt, qua ratione manducatur à fidelibus in
1.Reg.2. epulo ſacro. Vna enim pars adurebatur in altari, & altera interim coquebatur, vt ab ijs quorũ intererat manducaretur. Quæ omnia Chriſtus probè ſciens, dum promittit nobis carnem ſuã in cibum, & illam carnem quæ dabitur pro mundi vita. Profectò nihil aliud quàm promittit eam carnem ſuam in Sacramentum, quam dabit & offeret Deo in ſacrificio.
Pro-

Propterea enim in ijs verbis (quam dabo pro mundi vita) mentio facta eſt ſacrificij, vt in illis alijs (& panis quem ego dabo, caro mea eſt) memoria ſacramenti nobis repræſentaretur.

QVINTA DIFFERENTIA ſumitur ex diuerſitate illorum, qui operantur aut patris aut filij donum.

HOc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille. Vbi fides noſtra in filium incarnatū opus Dei non noſtrum dicitur, qui niſi trahamur à Deo patre ad filium, credere in filium non poſsimus. At in filij dono etiam noſtrum opus imperatur: ait enim, *operamini cibum quem filius hominis dabit vobis.* Cur id? niſi quia per donum patris multi qui nondum crediderant & propterea operari talem cibum non poterant, ad Chriſtum iam primò veniunt. Cùm filij donum, hoc eſt, Euchariſtiæ Sacramentum ad ſolos fideles perueniat, quibus ſemper integrum eſt (cùm poſt acceptam fidem ſint cooperatores Dei vt Apoſtolus ait) operari ex ea fidei gratia, quā à patre, hoc eſt, à ſanctiſsima Trinitate iam antè acceperunt. Sic igitur oportet interpretari donum filij, vt non intelligatur de alio cibo quàm de eo, quem in fideles operari poſſunt, & ſanè modus operandi appellatur manducatio ab ipſo Chriſto. Manducant verò fideles proprijſsimè carnem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. Iuſtificati enim prius per fidem ex dono patris in illis operante, poſſunt poſteà operari cibum filij hominis in Euchariſtiæ Sacramento, vbi dicitur, *accipite, manducate,* id eſt, *operamini cibū quem ego vobis porrigo:* eum (inquam) operamini tam mente quàm corpore, mente per fidem, corpore per Sacramenti ſumptionem.

[Margin notes: 5. Opus Dei. — 5. Operamini. — 1. Cor. 3.]

Sexta

SEXTA DIFFERENTIA conſiſtit in diuerſa opinione auditorum, de patris ac filij dono.

IVdæi non reprehenduntur quaſi non intellexerint verba Chriſti, ſed quia nõ *crediderũt ei. Sũt qui dam*(inquit)*ex vobis qui non credunt*. Cũ igitur poſtquã Chriſtus oſtendiſſet patris opus eſſe, vt in eum crederẽt, nõdũ valdè exhorruerint, quin imò audientes *patrẽ dare ipſis panẽ de cælo verũ*, mox dixerint, *Domine ſemper da nobis panem hunc*, iidemque poſt carnis Chriſti promiſsionem, ſtatim litigarint, dicẽtes: *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad mandu-cãdum?* Planũ fit eos non in eo deceptos fuiſſe, quod putarint Chriſtum carnem ſuam reipſa daturum, vt manducaretur, ſed in eo quòd nolebant aut credere eam rectè dari poſſe, aut expectare quomodo eam daturus erat. Sine controuerſia niſi aliter quàm per ſolam fidem ex ipſius Chriſti verbis carnem eius dãdam iudicaſſent, non adeò *durus illis viſus fuiſſet ſermo Chriſti*. Neque enim litigabant cùm prius in ſe credi poſtularet, etiamſi nõ obedirẽt voci eius. Nũc aũt præterquàm per viuam fidem alio modo non datur nobis Chriſti caro, niſi in Sacramento. Chriſtus igitur qui Iudæorum intelligentiam comprobauit, quoad veram ſuæ carnis manducationem: corporali modo illam fore manducandam intellexit, licèt non membratim, vt Iudæi putabant, ſed in Sacramento, vt iam fideles norint.

6. Da hunc panem.

6. Quomodo poteſt dare carnem ſuam ad manducandum?

SE-

SEPTIMA DIFFERENTIA conſtituitur in diuerſitate quæ eſt inter ipſum hoc, *venire ad Chriſtum & manere in Chriſto.*

PEr donũ patris (quod eſt fides) venitur ad Chriſtum, ipſo atteſtante: *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.* Nec dubito quin per idem etiã donum in Chriſto aliquouſque maneri queat, ab illis præſertim qui per ætatem recedere à Deo non poſſunt. Sed qui manducat carnem & bibit ſanguinem filij, prout filius hoc in loco rem intellexit, non propriè venit ad Chriſtum, ſed potius (vt hic ſcriptum videmus) *in Chriſto manet, & Chriſtum in ſe manentem habet.* Qui effectus Euchariſtiæ proprius eſt. Nunquã enim Euchariſtia dat primam, ſed auget priorẽ gratiam. Cibi enim propriũ eſt, nõ inchoare vitam, ſed inchoatam nutrire. At Euchariſtiam ſi tollas, nulla eſt cauſa cur *venire* patris dono, *manere* autem filij dono tribuatur, quia fidem vterque ex æquo dat. Cæterum ſpiritus ſanctus in verbo Dei attribuit primum acceſſum ad Chriſtum patris dono, quia per fidem quam Deus dat venitur ad Chriſtum: idemq; permanentiam filij dono attribuit: quia licèt per fidem abſq; Euchariſtia manere aliquouſque in Chriſto poſsimus, non tamen ſemper id poſſumus, quia Deus vult ſalutem noſtram conſummari per Chriſti carnem & ſanguinem in Sacramento participatum. Etenim vt ſine cibi aſſumptione vita corporalis paulatim deficit, ita & ſpiritalis vita extinguitur abſque cibo Euchariſtiæ, quæ ad hoc propriè inſtituta eſt, vt maneamus in Chriſto, & perſeueremus in gratia eius, id quod tam D. Cyprianus quàm D. Ambroſius, Cyrillus, alijq; patres annotarunt.

6. Venit ad me.

7. Manet in me.

De orat. Domini
De Sacr. lib. 5. c. 4
In Ioan. lib. 3. ca. 37.

OCTA-

OCTAVA DIFFERENTIA colligitur ex diuerſo vitæ ſpiritalis medio quod per vitalem cibum aliter & aliter præſentem efficitur.

QVanquam vterque in æternũ viuat, ſiue quem pater ſeu quem filius paſcit, tamen alio eiuſdem rei medio hic quàm ille viuit. Nam modus
8. Habet vitam. viuendi ex patris dono eſt is de quo dicitur: *qui credit in me, habet vitam æternam.* Modus autem viuendi ex filij dono eſt, *propter carnem Chriſti viuere:* quæ fidem noſtram auget præſentia ſua ſubſtantiali. Vnde in filij dono legimus: *Sicut miſit me viuens pater,*
8. Viuit propter me. *& ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Quæ verba ſignificant, vt filium in carne miſſum propter patrem (qui præſentia ſuæ naturalis ſubſtantiæ & naturæ carnem ipſius viuificat) in carne ſua viuere, ac viuificandi vim habere: ſic & nos manducantes filium, viuere propter illum corporali ſua præſentia nos viuificantem, & vitam nobis præbentem. Per fidem ergo viuimus ſpiritaliter ex dono patris. At manducantes filium, viuimus propter illum, perinde ac is qui cibum capit, propter cibum quem manducat, viuit. Itaque vt cibus corporaliter in illo eſt qui propter cibum viuit, ſic filius quem manducamus & propter quem viuimus, corporaliter in nobis eſſe innuitur, quòd nullo modo rectè ac ſanè intelligi, ſecundum literæ vim poteſt, præterquam in Euchariſtiæ Sacramento.

Baſil. in epiſt. 141.

NONA DIFFERENTIA cernitur in eo quod Manna duobus modis aliter per patris & aliter per filij donum impletur.

Cùm

CVm manna & corporalis eſca fuerit propter externam eius manducationem: & ſpiritalis vel propter mirabilem eius affectionem, vel propter internam ſignificationem qua prouocabat Iudæos, vt de Meſsia futuro per fidem ſpiritaliter manducarent: meritò ea figura duobus modis impletur: vno tantùm ſpiritali ex patris dono, cùm reuera in Chriſtum credimus quem manna deſignabat: altero & ſpiritali & ſacramẽtali ex filij dono, cùm in Chriſtum credentes, ipſius etiam carnem in Sacramento Euchariſtiæ percipimus. Ac prior implendæ figuræ ratio aliquanto eſt (quoad modum) imperfectior, quia tam ſpiritalem quàm corporalem eſcam ſolo ſpiritu non omnibus numeris adimplemus. Poſterior autem modus perfectiſsimè adimplet figuram mannæ, quia dum carnem filij hominis, in quẽ credimus, in Sacramento accipimus, & ſpiritu ex Chriſto & corpore carnem Chriſti manducamus. Nec (vt in manna id quondam imperfectè accidit) ſpiritu de vna re, hoc eſt, de Chriſto, corpore autem de alia re, hoc eſt, de manna comedimus: ſed per filij donum ex eo ipſo ſpiritus noſter paſcitur, quod in corpus noſtrum ſumimus, quia dum caro Chriſti quæ *verè eſt cibus*, in os noſtrum accipitur in Sacramento Euchariſtiæ, interim ſpiritus Dei corporaliter inhabitans, in illa carne ſpiritum noſtrum paſcit. Atque hæc eſt cauſa, cur & mannæ toties fiat mentio, & præſertim cur *ad finem orationis eius quæ tam de patris quàm de filij dono habetur.* Vtrinque de eadẽ quidem cæleſti re, ſed non eodem modo manducanda, concluditur. Etenim poſt patris donum propoſitum & explicatũ, Chriſtus in cõparatione mãnę (quã qui manducabant mortui ſunt) ait, *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Deinde poſtquã promiſiſſet ſe quoque

1. Cor. 10

9. Patres veſtri manducauerunt mãna, &c.

9. Non ſicut patres veſtri.

9. Ex hoc pane.

que daturum panem qui eſt caro ſua, ſuum illum panem iterum cum manna conferens, non iam conclu-
9. dit, ſi quis *ex hoc*, ſed qui manducat *hunc panem*, viuet in æternum. *Ex pane* aliquo manducare, eſt ita partem aliquam eius accipere, vt aliquid etiam non manducatum neque acceptum relinquatur. Mandu-
Hunc panem. care verò hunc panem, eſt nullam eius partem quæ non manducetur poſt ſe relinquere. Ibi velut de maximo flumine vas aquæ plenum quod ſitim extinguat, ad nos defertur. Hic autem flumen vniuerſum per noſtras edes tranſit, vt de toto alueo haurire liceat. Ac ſanè manducantes per fidem abſque Sacramento, non niſi *ex hoc pane qui Chriſtus eſt*, manducamus. Nec enim totus Chriſtus ſic iam intra nos, vt cibus intra manducantem, accipitur, quo inde nutriamur, ſed gratia quædam viuificans à Chriſto in corda noſtra diffunditur, *quæ fiat in nobis fons aquæ*
Ioan. 4. *ſalientis in vitam æternam.* Sed in filij dono totus panis quantus eſt à nobis manducandus innuitur, quia Chriſti & caro & ſanguis, & anima & diuinitas à nobis tanquam cibus ore accipitur, quod alibi præterquam in Euchariſtia non præſtatur. Ibi autem ſic præſtatur, vt & *hunc panem* qui Chriſtus eſt manducemus. Et præterea ex hoc pane. Hunc panem dum in os Euchariſtiã accipimus, ex hoc pane, dum gratiam ex Euchariſtia in ſpiritum noſtrum tranſfuſam toto corde haurimus.

DECIMA DIFFERENTIA petitur à diuerſo reſponſo quod murmurantibus datum eſt.

10.
Nemo venit niſi pater trahat. POſtrema differentia in eo conſiſtit, quod cùm Iudæi vtrobique *murmurarent*, neque in patris do-

dono per filium explicato, ac multo minus in ipſius filij dono conquieſcerent, aliter tamen filius ibi, aliter tamen murmurantibus reſpondit. Nã cùm murmurarent de filio hominis, prout is à patre datur. Chriſtus nihil aliud reſpondit quàm ſe panem vitæ eſſe, atque *ad ſe venire neminem poſſe, niſi pater traxerit eum.* Attractio autem patris tota ſpiritalis intelligitur. Non enim corpora pater ſed corda ad filium trahit. Quapropter ex eo quod filius in ſola ſpiritali attractione orationem concludit, de ſola ſpiritali manducatione ibi eum egiſſe concedimus. Longè autem aliter ſe res habet vbi Chriſtus ad eos qui de ſuo proprio dono murmurabant, reſpondit. Iam enim non tantùm aliquid ſpiritale intulit (qualis eſt attractio patris) ſed præterea corporalem quandam poteſtatem admiſcuit. Quid inquit, *ſi videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* Agit autem de corporali aſcenſione, vt vel ipſo rei corporeæ exemplo demonſtraret ſe etiam de corporali quadem manducatione agere, tanquam dicat: ne ſit vobis mirum quod carnem meam promitto in cibum dandam. Etenim hæc ipſa caro, quæ videtur vobis inepta quę manducetur, adeo ſpiritalis eſt (vtpote à ſpiritu ſancto generata, & ſpiritui diuino ſecundum veritatem humanæ naturæ in perſona filij Dei vnita) vt virtute inhabitantis verbi aſcenſura ſit in cælum non ſecus ac ſi ſpiritus aut angelus foret. Quemadmodum igitur aſcenſus in cælum, qui ſuperat vires naturæ grauis & corporeæ, tamen meæ carnis vires qui ſum Deus non ſuperat, ſic etiam tametſi caro hominis ex ſe non prodeſt quicquam, tamen mea caro vnita verbo non modò prodeſt ſed etiam viuificat. Nam ſpiritus, id eſt, diuinitas mea, eſt quæ viuificat, caro abſque diuinitate non prodeſt quicquam. *Verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita* ſeu ſpiritalia & vita-

10. Si videritis aſcendentem filium hominis.

vitalia ſunt, id eſt, ita intelligi debuerũt, vt ab eo prolata, qui Deus cùm ſit alios viuificare etiam per carnem comeſtam poteſt. Nam ea caro quæ in cælum aſcendit, dare etiam poteſt vitam ijs, qui dignè illam ore accipiunt. Hinc patet diſputationẽ Chriſti fuiſſe hoc in loco de corporea quadam manducandi ratione. Alioqui ſi tantùm de illa quæ fide fit egiſſet, quid pertinuiſſet ad rem aſcenſionis exemplum? Quid enim commune corporali aſcenſioni cum ſola ſpiritali manducatione? Sin (vt verè ſe res habet) Chriſtus de ſacramentali & ſpiritali manducatione ſimul egit, nihil aptius commemorari potuit, quàm vt eam ſpiritibus noſtris vtilẽ inde oſtenderet, quia caro quam ſumus manducaturi, talis eſt, vt etiam ſupra naturam carnis in cælum aſcenſura ſit propter verbum, vitam, ſpiritum, ſeu diuinitatis plenitudinem quæ in ea corporaliter inhabitat. Itaque vt omnia iam in vnũ colligamus, hoc intereſt inter patris & filij donum, quod ibi res donata (quæ eſt filius in carne miſſus) corporaliter abeſt, ſed per gratiam accipitur, hic autem præſens eſt in corpore noſtro, ibi *manducatur ex ipſo, hic autem & ipſe*, & ex ipſo manducatur. Ibi fides tantũ eſt inſtrumentum quo manducatur, hic & fides & os noſtrum concurrunt ad manducationem. Quemadmodum enim in dono patris *opus Dei eſt vt credamus in eum quem ille miſit*, ita in dono filij nos ipſi iam credentes iubemur *operari cibum quem ille dabit*. Ibi *venimus ad filium*, hic manducando carnem eius *manemus in filio*. Ibi *panis de cælo verus* proponitur, hic datur *caro verè cibus*, ibi *credimus in filium*, hic vna cum fide *manducamus carnem & bibimus ſanguinem eius*: ibi per filium vitam æternam habemus, hic non modò viuimus per filium ſed etiam viuimus *propter filium, quem manducamus, idque vt ille viuit propter patrem à quo mittitur.*

tur. In ſumma, ſpiritalem tantùm manducationem à patre qui ſpiritus tantùm eſt, duntaxat per mediũ ſpiritale (quod eſt fides in Chriſtum) & ſoli ſpiritui noſtro (qui ſolus credere & ex Chriſto manducare poteſt) exhiberi decuit, idque perpetuò, & ſine vlla temporis dilatione, quia ſpiritalis operatio non includitur certis temporibus & locis. Ex aduerſo autem cùm filius non ſit tantùm ſpiritus, ſed etiã carnem aſſumpſerit, nec donum ſuum ſtatim offerat, ſed in futurum differat, idque corporali nomine deſignarit *carnem & ſanguinem filij hominis* appellans, nec ſolùm in eam credere & ex ea manducare, ſed *eam verè cibum operari, & hunc panem manducare* iuſſerit, omnino exiſtimare debemus non ſolam ſpiritalem, ſed præterea ſacramentalem manducationem à filio promitti. Neque verè vlla cauſa poteſt offerri, cur aliàs tot modis donum ſuum à patris dono & perſonis & temporibus, & modis, & operationibus, & affectibus, & alijs multis rationibus diſtingueret? Nam cùm filius omnia det cõmuniter cum patre, itemque pater cum filio, & omnia ſint inter ipſos communia (præterquam quod nec pater eſt filius, nec ſicut filius carnem aſſumpſit humanam:) omnino iſta datio filij quæ tam ſignificanter à patris dono diſcernitur, ſecundum carnis aſſumptæ inſtrumentum futura intelligitur: quo ſolo modo aliter dabit nobis cibum filius quàm pater dat. Is autem corporalis modus dandi nobis Chriſtum in cibum, quia non niſi in ſacramento Euchariſtiæ impletur, illud Sacramentum iam à Chriſto promiſſum eſſe non opinor, temerè aſſeueramus. Quanquam enim tota Trinitas operetur, ac nobis det etiam Sacramẽtum Euchariſtiæ, tamen ſolus filius per inſtrumentum aſſumptæ carnis illud manibus ac ore ſuo inſtituit, & quotidie (velut manens in æternum ſacer-

dos.) illud conſecrat alia quapiam ratione ob vnionem carnis noſtræ ad ipſius perſonam aſſumptæ: quàm vel pater vel ſpiritus ſanctus faciat. Hanc igitur ſibi propriam donandæ ſuæ carnis operationem apud Ioannem intellexiſſe putari debet, ne fruſtrà tot modis donum ſuum à patris dono diſtinxerit.

Hic eſt quartus ex octo interpretandi modis.

EX EORVM QVÆ IN SEXTO capite Ioannis dicuntur & fiunt, cum cœna Domini collatione, probatur Chriſtum apud Ioannem de Sacramentali corporis & ſanguinis ſui communicatione agere.

CAPVT VIII.

SI tempus anni, verba, facta, & perſonæ, tam in cœna Domini quàm in 6. capite Ioannis, aut omnino aut magna ex parte reſpondeant, nec aliud intereſſe videatur, quàm quod in cœna reipſa præſtetur, quicquid antè aut facto figuratū aut verbo promiſſum erat: in eoque veterum Theologorum ac totius eccleſię prudentia conſenſit, magnæ temeritatis eſt negare Chriſtum in ſexto capite Ioannis de ſacramentali corporis & ſanguinis ſui communicatione propriè agere aut diſputare. Principio tempus anni vtrobique perſimile fuit. Nam cœna fiebat veſperi *ante diem feſtum Paſchæ*: & *erat proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum*, quando Chriſtus ea fecit & dixit, quæ apud Ioannem recenſentur. Porrò ſi Paſchata quæ D. Ioannes diligētiſsimè enumerat, perpendamus, reperiemus hoc paſcha quod in ſexto capite Euangeliſta commemorat, vno tantùm anno (ſaltem vt mihi videtur) ab illo abfuiſſe, in quo cœ-

Ioan. 13.
Ioan. 6.

nam vltimam Chriſtus fecit, ex quo apparet animos diſcipulorum vno integro anno aut paulò amplius per ea quæ dicebantur & fiebant, ad futuram Domini cœnam præparatos fuiſſe, vt adueniente illa tremenda cœna, in memoriam præteriti ſermonis non modò per quædam ſimillima verba, verumetiam per idem tempus anni reducerentur.

Sequitur vt quid in vtroque tempore factum ſit antequam ad myſtica verba veniatur, cõſideremus.

Apud Ioannem Ieſus *accepit panes*, & in cœna *panem accepit*. 2.

Ibi *gratias egit*, & hic *egit gratias*. 3.

Ibi *turbæ*, hic *Apoſtoli diſcubuerunt*. 4.

Ibi *Ieſus diſtribuit*, & hic *fregit & dedit diſcumben-
tibus*. Ibi miraculũ ingens operatus eſt in *multiplica-* 5.
tione panum, ſed hîc multo maius in ſui corporis *mul* 6.
tiplicanda vnitate. Quæ res facit vt illa panum apud Ioannem acceptio, benedictio, & diſcumbentibus facta diſtributio, imago quædam putari debeat eorum quæ poſt in cœna gerebantur: maximè, ſi verba vtrobique ſecuta cum factis præcedentibus conferantur. Nam vt ex miraculo quod circa panum diſtributionem operabatur, Ieſus occaſionem ſumpſit promittendi carnem ſuam in cibum illis fore dandam, dicens: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*. Sic in cœna occaſionẽ ſumpſit & ex azimo pane conficiendi corpus ſuum, & ſub forma panis eundem porrigendi: vtrobique *tranſiens à pane ad car-
nem*. Ibi verbo, hic reipſa, ibi prophetica oratione, 7.
hic myſtica veritate, vt ibi filius hominis eſt, qui &
facit miraculum, & carnem ſuam promittit ſic in cœ- 8.
na, idem filius hominis deſiderio deſiderat manducare hoc paſcha cum diſcipulis, & totum myſterium perficit, ibi promittit cibum permanentem in vitam

nam.hic eundẽ exhibet,di.ac. ibi ait dabo,hic dedit,
9. vt euangelia teſtãtur,ibi ait panis(non quem ego ac
cipiam)ſed *quem ego dabo, caro mea eſt*, hic alium pa-
10. nem accepit,alium dedit: accepit triticeum & azi-
mum,dedit verò nullum alium niſi carnem ſuam, di
11. cens:*hoc eſt corpus meum*, ibi promittebatur in cibum
illa caro,quam daturus erat pro mundi vita, hic por
rigitur in cibum corpus quod pro nobis datur, ibi
12. dicitur,*caro mea verè eſt cibus*,hic autem, *manducate,*
hoc eſt corpus meum.Ibi *ſanguis meus eſt potus*,hic,*bibi-*
te ex hoc omnes,hic eſt enim ſanguis meus.Ibi nulla vini
13. facta eſt promiſsio,quia hic vinũ datum non eſt, ſed
tantùm ſanguis Chriſti ſub ſpecie vini. Nam calix,
14. id eſt, quod in calice continetur, apud Lucam dici-
tur fundi pro nobis,cùm tamen vinum pro nobis fu
ſum non ſit.Iam vt ad perſonas veniamus,quemad-
15. modum Capharnai turbis recedentibus ſoli duode-
cim à Chriſto non receſſerunt,ſic in cœna turbis ex-
16. cluſis, ſoli duodecim apoſtoli cum Ieſu diſcubue-
runt.Quemadmodum Capharnai poſt ſermõe de
carne ſua habitũ,cũ Chriſtus ad duodecim diceret,
17. *nunquid & vos vultis abire?* D.Petrus reſpondit, *Do-*
mine ad quem ibimus? Sic poſt carnem Chriſti exhibi-
18. tam D.Petrus in cœna negat ſe deſerturum aliquan
do Chriſtum, idemque reliqui affirmant. Quemad-
modum Capharnai Chriſtus dixit, *vnus ex vobis dia*
bolus eſt, ſic in cœna Domini Ioannes narrat quod
Satanas intrauit in Iudam vnum ex duodecim. Cùm i-
gitur hæc omnia quæ iam enumeraui tam mirificè
inter ſe conſpirent,vt nihil prope aliud interſit,quàm
quod in cœna id fiat & præſtetur,quod in ſexto ca-
pite Ioãnis aut rebus præfiguratum, aut verbo pro-
miſſum erat, ipſa profectò mutua vtriuſque loci col
latio manifeſtè probat ea quæ apud Ioannem com-
memorantur, coniuncta eſſe cũ cœnæ Domini cele-

bratio-

282

bratione. Ne autem propter tot ſimilitudines quæ ſunt inter ſextum caput Ioannis & cœnam Domini, ea quæ omnium præcipua eſt velut vna de multis puraretur, ſeorſim illam hoc in loco iterum vrgendam putaui. Dominus igitur apud Ioannem dixit, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Idem in cœna dedit, dicens: *accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Hic facilè perſpicitur *quod pani vita promiſſo, manducatio viui panis exhibita: dationi, acceptio: carni, corpus: dationi carnis pro mundi vita, datio corporis pro nobis* eximiè reſpondit. Duplex vtrobique eſt datio, altera in Sacramentum, quæ verbo prior nominatur, & altera in ſacrificium quæ in propoſito Chriſti vtrobiq; prior intelligitur. Quemadmodum igitur Apoſtolus illa verba Chriſti (*accipite & manducate hoc, eſt corpus meum quod pro vobis datur*) ſic intelligit, *quotieſcunque manducabitis panem hunc* (qui eſt corpus Chriſti) *& calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Sic & hæc verba Chriſti, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita*) ſic intelligenda ſunt, quotieſcumque manducabitis panem, qui eſt caro mea, ſacrificium meum pro mundi vita factum annuntiabitis. Hoc autem nemo ignorat in ſola Euchariſtia fieri, vbi dum caro, quæ mortua pro nobis eſt, comeditur, mors Domini facto ipſo colitur & annuntiatur. Et ſanè propter ſimilitudinẽ ſummã quæ inter præcipua vtrobique eſt, nihil obſtitit minora etiam contuliſſe.

Ioan. 6.

Luc. 22.

1. Cor. 11.

EX ANTIQVORVM PAtrum conſenſu probatur Chriſtum in ſexto capite Ioannis de Sacramento corporis ſui locutum eſſe.

Hic eſt quintus ex octo interpretandi modis.

CAP. IX.

TAm ſacroſancta eſt diuinorum librorum aucto ritas, vt non modò primum conſcribi, ſed neq; poſtea rectè declarari potuerint priuati cuiuſpiam ſenſu, aut opinione. *Dedit Deus eccleſiæ ſuæ prophetas & Apoſtolos*, qui ſpiritu ſancto præeunte conſcriberent ſacras literas. *Dedit idem paſtores & doctores*, qui conſcriptas ad noſtram vtilitatem interpretarentur, vt meritò exclamauerit Auguſtinus: *Quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quàm diuinorum ſacramentorum libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere?* Cùm autem vnius interdum loci multiplex interpretatio ſit, meritò ea cæteris præfertur, in qua & plures, & maioris ingenij, doctrinæ, grauitatiſque patres conſentiunt: ad quam interpretationem, ſi vſus etiam & conſuetudo inſignium populorum & gentium acceſſerit, iam adeo certa & explorata videtur eſſe illa explicatio, vt omnino ab ea recedere non liceat. Etenim cùm vel ſolus doctiſsimorum patrum conſenſus, vel ſolus illuſtrium eccleſiarum vſus magni per ſe ponderis ac momenti fuiſſet: quin hæ duo coniuncta multò pluris facienda ſint, nemo ſanæ mentis negauerit. Oſtendam verò non ſolùm complures verumetiam omnes, aut prope omnes patres, itemque illuſtriſsimas quaſque eccleſias hac mente fuiſſe, quod Dominus in ſexto capite Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ locutus fuerit. Origenes igitur cùm affirmaſſet *legem Dei iam non in figuris & imaginibus ſicuti prius, ſed in ipſa ſpecie veritatis agnoſci & compleri*: per exempla idipſum, demonſtrans ait, *antea in ænigmate fuit baptiſmus, in nube & in mari; nunc autem in ſpecie regeneratio eſt in aqua & ſpiritu ſancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in ſpecie caro verbi Dei eſt verus cibus, ſicut & ipſe dicit,*

Ephe. 4.

De vtilitate credend. ca. 17.

Super num. homil. 7.

 283

quia caro mea verè eſt cibus. Quis dubitat quin de Baptiſmo ſic etiam de Sacramento carnis Chriſti Origenes hic loquatur, eo ipſo teſtificans hæc verba *(caro mea verè eſt cibus)* ad Sacramentum Euchariſtiæ referri debere. D. Cyprianus cùm alia nõnulla protuliſſet ex hoc ſexto D. Ioannis capite, *vt manifeſtum eſt* (inquit) *eos viuere qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiãm iure communicationis: ita contrà timendum eſt & orandum ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, comminante ipſo & dicente: niſi ederitis carnem filij hominis.* Idemq́ue in libro tertio ad Quirinum, vbi hæ duo loca citaſſet, *niſi quis renatus fuerit ex aqua.* Itemq́ue, *niſi ederitis carnem filij hominis*, mox ſubiungit, parum eſſe baptizari & Euchariſtiam accipere, eo ipſo declarans, vt illud, *niſi quis renatus*, ad baptiſmum, ità hoc, *niſi ederitis carnem*, ad Euchariſtiam ſpectare. Vnde fruſtra is locus in contrariam ſententiam à Ruardo & alijs torquetur. Athanaſius Diuinę ſcripturę ſummã percurrens, vbi venit ad ſextum caput Ioannis, hæc habet verba: *Diſcipuli nauigant Capharnaum, huc & Ieſus venit & turbæ, diſſerit illis de myſterijs.* Quid potuit commemorari planius? niſi fortè dices per myſteria quippiam aliud intelligi, quàm corporis & ſanguinis Domini Sacramenta. D Hilarius *de Sacramento communicandæ carnis & de myſterio ſub quo verè carnem corporis Chriſti ſumimus*, aduerſus Arrianos agens, citat illa omnia, *caro mea verè eſt eſca, qui edit carnem meam:* itemq́ue, *ſicut me miſit viuens pater*, & ex ijs locis concludit Chriſtum in nobis naturaliter permanere. Quod vtique non euenit niſi in Sacramento Euchariſtiæ. D. Ambroſius de Sacramentis agens. *Vera* (inquit *eſt eius caro*) ſicut ipſe dixit) *quam accipimus, & verus eius ſanguis eſt, quem potamus.* Alibi etiam declarans quomodo filius viuit

Ioan. 6.

In ſer. de orat. domin.

Lib. 3. ca. 25. & 26.

Ruard. tom. 2. artic. 15. pag. 275.

In ſynopſi lib. 4.

De Trinit. lib. 8.

De Sacr. lib. 6. c. 1.

De fide lib.4.c.5.

propter patrem. Poſtquam citauerat illa verba, *niſi manducaueritis carnem*: & illa: *caro enim mea verè eſt eſca*. Carnem (inquit) audis, & ſanguinē audis, mortis dominicæ Sacramenta cognoſcis. Nos autē quotieſcuuque Sacramenta ſumimus, *quæ per ſacræ orationis myſterium in carnem transfigurātur, & ſanguinem, mortem Domini annuntiamus*. Planè de Sacramēto Euchariſtiæ Ambroſius id interpratatur quod apud Ioannem de carne & ſanguine Domini legitur. Eodem reſpexit 6. Ephrem, vbi ait, *cùm manducamus corpus & ſanguinem bibimus, & ipſe in nobis eſt, & nos in eo*. Hieronymus affirmans *carnem dupliciter intelligi, vel ſpirtualem, vel eam quæ crucifixa eſt*, illa verba, *niſi māducaueritis carnem, & caro mea verè eſt cibus*, de ſpirituali & diuina carne dicta eſſe aſſerit. Porrò quod per ſpiritalem & diuinam carnem illum carnis modum, qui Euchariſtiæ proprius eſt, intelligat: id abundè probat quod apud eum ſequitur. *Iuxta hanc diuiſionem (inquit) & in ſanctis eius diuerſitas, ſanguinis & carnis accipitur; vt alia ſit caro, quæ viſura eſt ſalutare Dei, alia caro & ſanguis, quæ regnum Dei non poſſunt poßidere*. Quemadmodum igitur ſub diuerſis qualitatibus & modis, eadem eſt omnino ſubſtantia carnis ſanctorum, tum quæ hic mortali conditioni obnoxia, non poteſt poſsidere regnum Dei: tum quæ immortalitate iam donata, videt ſalutare Dei, (quod ipſum Auguſtinus & ſæpius affirmat, & diligenter contrariæ opinionis vel ſolam ſpeciem retractat) ſic non obſtante duplici carnis intelligentia, tamen eadem eſt ſubſtantia carnis Chriſti, tum quæ quæ crucifixa eſt; tum quæ ſpiritalis eſt & diuina. Si ergo ſubſtātia carnis Chriſti modo quopiam ſpiritali *verè eſt cibus*, & ita verè eſt cibus, quemadmodum differt à modo & qualitate carnis crucifixæ: profectò hæc differentia non intelligitur

De iudicij die li. 5.

Ioan. 6.

Retract. lib. 1. c. 17

284

gitur de illo cibi genere, quod tantum per fidẽ mãducatur, cũ & de crucifixa carne per fidẽ oporteat mãducare. Credimus enim in Chriſtũ etiã paſsũ, & credẽdo in illũ, ex illo etiã paſſo mãducamus. Itaq; caro ſpiritalis quæ ſic verè eſt eſca, vt aliter intelligatur quã illa caro quæ crucifixa eſt pro nobis, per ſacramẽtũ ac nõ tantũ per fidẽ eſca cibuſq́; eſſe intelligitur, vt planè hæc ſit D. Hierony. ſententia: *Dupliciter intelligitur ſanguis & caro Chriſti, vel prout eſt in Euchar. ſignificans & nutriens vnitatem eccleſiæ ſuæ, vel prout erat in cruce*, quãdo redemptionem eiuſdẽ Eccl. operabatur. Illũ intelligẽtiæ modũ per quẽ eſt in Euch. appellat ſpiritalem atque diuinum, deque eo dictum eſſe ait, *caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*. Omnino igitur docuit Hieronymus, quædam in ſexto capite Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ accipi debere: nam ſpiritalem & diuinam carnem intelligit Euchariſtiam, quod ipſum D. Ambroſius verè ita eſſe fatetur, vbi de myſterijs agens, *eam eſcam dicit eſſe non corporalem ſed ſpiritalem, quia corpus (inquit) Chriſti, corpus eſt diuini ſpiritus*. Ac nimirum caro Chriſti ſic in Euchariſtia continetur, tamquã ſi ſpiritus foret. Non enim in corporali forma ſe exhibet (prout crucifixa eſt) ſed ſpiritali modo ſub forma panis, cùm ſit vtrobique eadem carnis veritas. Illud ſanè prætermittendũ non eſt, ante annos ferè quingentos virum doctiſsimum Algerum ita interpretatum eſſe hæc Hieronymi verba. Poſtquã enim illa propoſuiſſet, non (inquit) hoc dixiſſe Hieronymus quantum ad duplicem ſubſtantiam credendus eſt, ſed quantum ad duplicem ſubſtantiæ formam, qua nunc in humana, nunc in panis & vini intelligitur forma. Hoc autem libentius iſtum locum vrgeo, qui non ignorem alijs viſum eſſe, quod Hieronymus putarit apud Ioannem de ſpiritali tantùm

In ſymbolo.

Cap.9. de ijs qui init. myſter.

Lib.1.17.

Lib. 2 manducatione agi, ad eamque rem, illud ex eo citant contra Iouinianum, vbi ait: *Vis ſcire quomodo cum Chriſto vnum corpus efficiamur? Qui comedit carnem meam, in me manet, & qui comedit me, viuit propter me.* Et poſt: *In hoc intelligimus quod in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.* Ecce inquiunt, ſi prima cum poſtremis conferantur, apparebit Hieronymum illa verba ex Ioanne ad hoc proferre, vt oſtēdat nos manere in Chriſto & viuere propter illum, quia ſpiritu, non quia Sacramento vnimur: ac propterea illum de ſpiritali tantùm manducatione verba quæ apud Ioannem ſunt interpretari. Equidem fateor Hieronymum nihil ibi ſpectare aliud quàm ſpiritalem vnionem. Et iſta ſpiritalis vnio tam per baptiſmum inchoatur in paruulis, quàm per fidem viuam in adultis, per Euchariſtiam verò augetur & ad plenitudinen perducitur. Cùm igitur duo apud Ioannem proponantur: promiſsio Sacramenti in ijs verbis, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*: itemque fructus & effectus eiuſdem Sacramenti dignè ſumpti in ijs verbis, *manet in me, & ego in eo.* Cùm inquam hæc duo ibi proponantur, quę dementia eſt velle. Et quia Hieronymus alterum ex duobus vrget, ideo reliquum negare cenſeatur? Ad rem tunc pertinuit, vt oſtenderet nos vnum fieri cū Chriſto, non ſecundum naturam diuinitatis (vt Manichæi falsò aſſerebant) ſed ſecundum gratiam, qua videlicet manemus in illo. Sed an ideo negauit Hieronymus de Euchariſtia illic ſermonem fieri? Quaſi verò per Euchariſtiam optimè non fiat, vt in Chriſto maneamus. Aut quis obſecro modus potior eſt, vt vnum fiamus cum Chriſto, quàm ſi dignè manducando carnē eius & ſanguinem bibendo ad eam vnitatem proueheamur? Tunc enim corporali veritate in nobis præſens, de ſpiritu ſuo copioſiſsmè dat nobis.

Ad Hedibiam quæſt. 2.

285

nobis. Præterea Hieronymus alibi coniungit ſextũ caput Ioannis cum Domini cœna,his in verbis: *Panis qui de cælo deſcendit, corpus eſt Domini, & vinum quod diſcipulis dedit, ſanguis illius eſt.* Et poſteà, *Nec Moyſes dedit nobis panem verum,ſed Dominus Ieſus,ipſe conuiua & conuiuium: ipſe comedens & qui comeditur.* Stet igitur firmum quod Hieronymus nũquam negauit de Sacramento cœnæ apud Ioannem agi. Sed potius idipſum apertè docuit,tum in primum caput epiſtolæ,ad Epheſ. tum alibi: Quid opus eſt Chryſoſtomum in medium afferre,qui in totum illud caput commentatus,illa verba, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*,de corpore Chriſti dicta eſſe docet, & rationem reddit cur de myſterijs Chriſtus ibidem egerit,eumque parabolicè locutum eſſe negat, & omnino loca diſtinguit, vbi de ſpiritali tantùm, & vbi ſimul etiam de ſacramentali manducatione agatur. Baſilium Magnũ, Auguſtinum, Bernardum dedita opera prætermitto,pleniſsimè illorum mentẽ per integra capita(ſi Deus volet)poſtea explicaturus. Neq; verò Cyril. Alexand. vel per ſomniũ cogitauit, de alio Germano ſenſu eorum verborũ quæ carnem & ſanguinẽ nominant, quàm vt de Euchariſtia intelligantur:adeò vt ſic interpretetur illa verba: *Et ego reſuſcitabo eum, id eſt, corpus meum quod comedetur: & myſticam benedictionem ſæpiſsimè nominet.* Theodoretus de myſterijs tractans cum verbis cœnæ etiam illa coniungit,*& panis quem ego dabo,caro mea eſt.* Euſebius autem Emiſſenus cùm de myſterijs agens,dixiſſet,*neceſſarium erat, vt nobis Sacramentum corporis & ſanguinis ſui conſecraret.* Adiecit poſteà, *vnde meritò cæleſtis confirmat authoritas,quia caro mea verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus.* Quæ fuerit Innocentij Pontificis Romani mens in hac re,ex ijs cognoſci poteſt,quæ poſteà proferemus,vbi de Auguſtini

In Ioan. hom.44. 45. & 46

In Ioan. lib.3.&4

In dial.1.

Hom.5. in paſcha

ſtini ſententia pleniſsimè diſputabimus, illius enim verba S. Auguſtinus & citat & interpretatur. Leo Magnus, *dicente* (inquit) *Domino, niſi mãducaueritis carnem filij hominis &c. ſic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur.* Ecce illa verba, *niſi manducaueritis carnem filij hominis*, de illa manducatione quæ ore fit, perſpicuè interpretatur. Caſsiodorus cùm dixiſſet prophetiam Dauidis, de Sacerdotio Melchiſedech, Chriſto euidenter optari, qui corpus & ſanguinem ſuum in panis ac vini erogatione ſalutariter conſecrauit, idipſum demonſtrat ex Euangelio Ioannis, vbi Dominus ipſe dicit, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam æternam.* Gregorius Magnus dum iam porrigeret ſacram Eucharistiam populo, & quandam nobilem mulierem de veritate corporis Chriſti dubitantem viſibili miraculo conuertiſſet, *diſce* (inquit) *veritati vel modo conteſtanti credere, panis quem ego dabo, caro mea eſt, & ſanguis meus verè eſt potus:* vbi clariſsimè oſtendit verba ſexti capitis apud Ioannem, ad Euchariſtiã propriiſsimè referri. Sedulius coniungit hæc duo loca, *calix benedictionis, cui benedicimus: & qui manducat meam carnem:* Idem prorſus facit Primaſius, & præterea ille qui commentarios in epiſt. ad Corinthios qui ſub nomine Hieronymi extant, conſcripſit. Iſichius autem iſta duo connectit, *panis quem ego dabo, caro mea eſt*, &, *probet ſeipſum homo & ſic manducet.* Iſidorus etiam ea quæ ad inſtitutionem Sacramenti pertinent, cum ijs quæ in ſexto Ioannis leguntur, variè permiſcet; ex quo apparet hos omnes iudicaſſe quod de Euchariſtiæ Sacramento ſextũ caput Ioannis intelligendũ ſit. Damaſcenus illud verbum, *hoc eſt corpus meum*, probat ex aliorum verborum collatione,

Leo ſer. 6. in Ioã. mens. 7.

Caſsiodorus in pſal. 109.

In vita D. Greg.

In 1. Co. cap. 10. & 11.

In Leuit. lib. 6. ca. 22.

De of ec. bap. 18.

De orth. fid. li. 4. cap. 14.

tione, *niſi manducaueritis carnem filij hominis.* Germanus etiam Patriarcha Conſtantinopolis, *ſanctus* (inquit) *ſpiritus transmutat & conficit propoſita ſancta dona in corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Christi, qui dixit, pro ipſis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati. Quo pacto? qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* Rabanus Maurus cùm oſtendiſſet Catechumenum à baptiſmo Euchariſtia muniri ſolitum eſſe, adiecit. *Dicit enim ipſa veritas, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo.* & item, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* VValefridus Strabo *cum ipſe filius Dei dicat, caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: ita intelligendum eſt, eadem redemptionis noſtræ myſteria & verè eſſe corpus & ſanguinem Domini, vti illius vnitatis perfectæ, quā cum capite noſtro iam ſpe, poſtea re tenebimus, pignora credere debemus, inde & Sacramenta à ſanctificatione vel ſecreta virtute dicuntur.* Gloſſa interlinearis in illa verba, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? vſque modo* (inquit) *nō fecit mētionem de ſumptione Sacramenti altaris*, quaſi dicat, hic incipit de Sacramento altaris mentionem facere. Itemque gloſſa ordinaria quæ per Strabum Fuldenſem collecta eſſe putatur in iſta verba, *qui manducat carnem meam*, ſic habet. *Exponunt quidam ſancti de comeſtione altaris, & bene dicunt: ſed quærunt quomodo fiat in vitam æternam cùm quidam ad mortem vt dicit Apoſtolus? Si quis comedit in altari cum hac comeſtione de qua agit, hic ſcilicet cum fide operante ex dilectione: hic comedit in vitam æternam? ſi quis verò aliter, in mortem.* Haymo connectit ea quæ ſunt in ſexto capite D. Ioannis cum verbis cœnæ Domini. Beda ſecutus Auguſtinum, nihil dubitat idem in ſexto Ioannis promitti, quod in vltima cœna exhibitum eſt. Paſchaſius probat in

De rerũ Eccl. myſtica contemplatione.
Ioan. 6.
De inſt. Cleric. lib. cap. 29. & 31.
De rebus Eccl. ca. 17.
Ioan. 6.
In c. 6. Ioan.
In c. 6. Ioan.
Hay. in 1 cor. c. 10. & 11.
Bed. in c. 6. Ioan. & in 1. cor. 10.
Paſc. de corp. & ſang. do. cap. 14.

Theop. in 6. Io. veritate corpus & ſanguinem fieri,cõſecratione myſterij,quia veritas ait,caro mea verè eſt cibus. Theophylactus in illa verba (& panis quem ego dabo) manifeſtè(inquit) nobis hoc loco de myſtica communione corporis ſui dicit . Adelmannus Epiſcopus Brixienſis: Patres(inquit)noſtri audierunt Chriſtum de ſeipſo in Euangelio prædicantem, *& panis quem ego dabo,caro mea eſt,pro mundi vita.* Dabo (inquit)non dedi, quando ergo cœpit dare ? quando pridie quàm pateretur accepit panem, &c. Gratiani mentem licet in Decretorum Collectaneis perſpicere,de conſecratione,diſtinct. ſecunda. Euthymius ait,non dixit quem do,ſed quem dabo,daturus nãque erat in vltima cœna . Ruperius in eadem verba ſic ſcribit,*Panis quem ego dabo(dicens accipite & comedite)caro mea eſt.* Petrus Clunia. lõgè ante Dom.paſſionem commendatum dicit ſalutare Sacramentum in ijs verbis,*& panis quem ego dabo,caro mea eſt.* Idq́; vt ſi nomine corporis circa diuerſa corpora cogitando vagaris,audito carnis nomine, ab innumera corporum multiplicitate reuoceris . Albertus Magnus per omnia confert verba ſexti capitis apud Ioannem cum hiſtoria cœnæ Domini,apud Matthæum. *Ego credo corde*(inquit Innocentius tertius) *& ore confiteor,quod ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in hoc Sacramento manduco,fretus anthoritate qua dicitur, Qui manducat carnem meam,viuet propter me.* Omniũ autem Theologorum ſuæ ætatis facilè princeps D. Thomas in his commentarijs, quos in Euangelium Ioannis conſcripſit,ita rem diſtinguit . Quod dixit ſuprà, *ego ſum panis viuus*, pertinet ad virtutem verbi:hic verò quod ſubdit:*panis quem ego dabo,caro mea eſt*,& quæ ſequuntur: pertinet ad communionẽ ſui corporis.ſ.ad Euchariſtiæ Sacramentum. (Et pòſt) in illa verba:caro mea verè eſt cibus: *Non intelligatis quòd*

Adelm. in ep. ad Bereng.

Euth.in cap.6. Ioan.

Rup.in 6 c.Ioan.

Cluni. de Sacr. contra Henr.

Alb.in cap.26. Mat.

Innoc.de ſacro altaris myſterio. lib.4.c.7

In cap. Ioan. lect.6.

D. Tho. in lect.7.

quòd figuraliter loquor, ſed ſecundum veritatem caro mea continetur in cibo fidelium, & ſanguis meus verè continetur in Sacramento Altaris. Et alibi probat ex iis verbis (*niſi manducaueritis*) quod omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare corpus Chriſti, & addit ſpiritualem manducationem includere votum ſeu deſiderium percipiendi hoc Sacramentum, quod fruſtra (inquit) eſſet, niſi impleretur quando opportunitas adeſt. Bonauentura cùm dixiſſet corpus Chriſti ſecundum veritatem in altari eſſe, id inter cætera probat hoc modo: *Caro Chriſti verè eſt cibus, ſed cibus qui nõ exponitur ad cibandũ, eſt cibus, fruſtra ergo, ſi caro Chriſti nõ eſt cibus, fruſtra exponitur ad cib. Sed nõ in ſe, ſ. viſibiliter ne generet horrorem, ergo eſt vera caro Chriſti ſub ſacram.* Vnde apparet hunc ſanctum doctorem putaſſe, quod illa verba in Euangelio Ioannis, *caro mea verè eſt cibus*, ſignificant carnem Chriſti ſub Sacramento verè cibum eſſe. Ioannes Duns, qui vulgò Scotus dicitur, veritas (inquit) iſta (quod corpus Chriſti realiter continetur ſub ſpecie panis & vini) *fundata eſt. Mat. 26. & Luc. 22. Hoc etiam manifeſtè patet ex alio loco ſcripturæ, ſcilicet Ioannis ſexto, vbi eſt diffuſa prædicatio de iſto Sacramento.* Nicolaus de Lyra dum interpretaretur illa verba, (*& panis quem ego dabo*) ſic habet, *poſtquàm egit de pane ſpiritali, qui eſt verbum, hic conſequenter agit de pane ſpirituali, qui eſt Sacramentum.* Sed quoniam infinitũ eſſet recentiorum patrum verba ſigillatim iſto modo recenſere, id hoc in loco animaduerſione dignum iudicaui, quòd hæc opinio quæ negat de Euchariſtiæ Sacramento apud Ioannem agi, noua eſt, & ferè ante ſchiſma Huſſitarum inaudita. Sed cùm Huſſitæ illa verba (*niſi manducaueritis & biberitis.*) Vrgerent pro communione ſub vtraque ſpecie, hinc nonnulli cœperũt conſulere D. Auguſtini commentarios, in ſextum caput Ioannis. Et quia videbant Auguſtinum ita domini ver-

Part. 3. q. 80. art. 11.

In 4. ſenten. diſt. 11.

In lib. 4. ſent. diſt. 10.

Lyr. in c. 6. Ioan.

Ioan. 6.

ba exponere, vt (quemadmodum verè debuit fieri) potius effectum ſacramentalis mãducationis, quàm ipſam ſacramentalem manducationem (quam tamẽ à Chriſti verbis apud Ioannem nunquàm excluſit) notari vellet, putantes eo modo Huſsitis facillimè ſatisfieri poſſe: id conſilij cœperunt, vt negarẽt propriè de ſacramentali manducatione apud Ioannem agi. In qua reſponſione adeo pauci acquieuerunt, vt quò res diutius agitata, & à maximis Theologis accuratius diſcuſſa fuit, eò frequentius ab illa reſponſione receſſum & in aliam longè ſecuriorem diſceſſum ſit: cùm tamen ſi prior illa reſponſio certa & indubitata fuiſſet, nihil vnquàm potuiſſet ſolidius aut firmius excogitari: niſi fortè præſtantiſsimus defenſionis modus is non ſit, qui negatione clariſsima nititur & confidit. Ex ea enim re totum onus probandi reijcitur in aduerſarium, qui magna ſæpe cum difficultate id legitimè probat, quod reus vnico verbo facillimè negat. Cæterũ quia ne veritas quidem ipſa per mendacium propugnanda eſt, etſi veriſsimum ſit, eos qui publicè non offerunt ſacrificium, ad vtranque ſpeciem non obligari, tamen hæc veritas non eſt ita defendenda, vt negemus Dominum apud Ioannem de Euchariſtia locutũ eſſe. Notum eſt illud Auguſtini, eos demum iudices laudantis qui ſententiã in re aliqua protulerunt, antequam de ea lis vlla eſſet adhuc orta. Nam quod poſt litem motam dicitur, vel amicitiæ vel inimicitiæ ſuſpitioni obnoxium eſt, meritò igitur eas demum præſentis ætatis ſententias in ſextum caput Ioannis pleniſsimæ authoritatis eſſe putandum eſt, quæ cum antiquis doctorum interpretationibus conſentiunt, quibus tunc ſcribentibus, de iſta quæſtione cogitatum non eſt. Itaque licet Thomas VValdenſis vir ſui tẽporis & longè doctiſsimus, & princeps eorum, qui hære-

In epil. lib. 2. contra Iulianum.

VVald.

hæreſim VVichlefi expugnarent, primùm reſpondiſſet illa verba (*niſi manducaueritis & biberitis*) ad Euchariſtiam non ſpectare, tamen rectè animaduertens eam reſponſionem ſatis tutam non eſſe, propterea quod antiqua Eccleſia aliter iudicaſſet, ad aliam reſponſionem confugit, dicens: *Eſt & alius modus bibendi ſanguinem filij hominis ore corporis, dum in altera ſpecie ſiue panis ſiue vini fideliter ipſum ſorbet, &c.* Tom. 2. de Sacr. cap. 92.
Poſtea citat hæc Innocentij Quinti verba quæ in quartum ſententiarum librum diſtinctione vndecima ſic habent. Ibidem cap. 94. Innoc.
In ſacramentis eſt ratio ſigni & ratio cauſæ. Significatio pertinet ad ſapientiam, ſed cauſalitas ad gratiam. Quia igitur gratia omnibus communiter neceſſaria eſt, ſed non ſic ſapientia: efficatia verò æqualis eſt, ſub vtraque ſpecie, ſed non ſignificantia: ideo omnibus traditur ſub altera ſpecie, in qua poteſt tradi cum reuerentia & cautela maiori. A maioribus verò tamen, id eſt, preſbyteris vel miniſtris ſumitur ſub vtraque ſpecie. Ad obiectum autem quod in cibo ſine potu non eſt refectio, dicendum quod ſub vtraque ſpecie eſt cibus & potus ſecundum rem ſignificatam, quamuis non ſecundum ſpeciem ſignificantem. Et cùm arguitur illud Euangelij: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem &c. Dicendũ quod ſub vtraq; ſpecie corpus manducatur, & ſanguis bibitur in re, licet non in expreſſo ſigno. Sed Græci (vt dicitur) inſtituti per Paulum: in vtraque omnes communicant. Dico (inquit) quamuis illi benefaciant: Latini tamen melius ratione prædicta. Hãc
reſpondendi rationem ſecutus etiam eſt Gerſon, re- Gerſon de communione Laicorũ.
prehendens Huſsitas, quod tantopere vrgerent iſta verba (niſi manducaueritis) pro ſumptione tam panis quàm vini ſacramẽtalis, cùm Chriſtus in eodem capitulo præmiſerit, *ego ſum panis viuus, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Vbi nihil loquitur de potu. Et ſanè aliàs Gerſon caput ſextum

In monoteſ.c. 52.

vſque eo iudicauit ad Euchariſtiam ſpectare, vt in libro quem inſcripſit Monoteſſaron(quod quatuor Euangelia in vnum hiſtoriæ corpus coegiſſet) ſexto capiti Ioannis hanc inſcriptionem appoſuerit. De prædicatione Euchariſtiæ Ioãnis ſexto. Nicolaus e-

Cuſanus

tiam de Cuſa, primum contendit illa verba(niſi mãducaueritis)de ſola ſpiritali manducatione intelligi debere: adeo vt adiungat, etiam iſta verba (*qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit:*) quia (vt ille putat:)Verificati ea oporteat de omnibus ſanctis tam veteris quàm noui teſtamenti, non poſſe intelligi de viſibili baptiſmo, ſed de renaſcentia inuiſibili & ſpirituali, quæ fit per fidem. Sic (inquit) vbi Chriſtus dicit(*niſi manducaueritis carnem,*)ſi de omnibus ſanctis debet verificari, qui habent vitam illã diuinam, neceſſe eſt quod non intelligatur de viſibili ſeu Sacramentali manducatione, ſed de ſpirituali. Verùm

Ep. 7. de amplec. vnit. Ec. ad Bohemos.

vbi hanc nouam opinionem cœpit ad antiquitatis conſenſum reuocare, mox obiicit ſibi: Sed ſi quis dixerit, nonne quidam hunc textum, *niſi manducaueritis*, exponunt de eſu ſacramentali, ſcilicet, quod quãuis intelligatur de ſpirituali eſu; tamen in hac Eccleſia conſtare debet Chriſtianum ſub ſignis ſacramentalibus confiteri, Chriſtum eſſe eſum &

Rom.

potum vitæ? Sic edens ſpiritualiter, quaſi corde credens ad iuſtitiam, etiam tenetur ad eſum ſacramentalem, quaſi confeſſio oris fiat ad ſalutem: ſicut & de baptiſmo fidelium dicitur. Tenetur igitur in voto habere eſum ſacramentalem: aliquãdo ergo debet communicare, vt arguit ſanctus Thomas. Fatemur hoc ſic ſe habere, ſed non poteſt quis obligari ex voto ad impoſſibile. Ideo eo modo tantùm obligabitur ad executionem voti, quomodo Eccleſia tradit, ſi ipſe per ſe ſumere nequit. Iam prius verò declarauit ſe per impoſſibile nihil aliud intelligere,

quàm quod Laici non tenentur aliter Euchariſtiam ſumere quàm eis diſpenſatur ab ijs qui myſteriorum Chriſti diſpenſatores ſunt. Cùm igitur paſtores Eccleſiæ poſt deliberationem grauiſsimam in concilijs duobus tam Conſtantienſi quàm Baſilieſi habitam decreuiſſent vtranque ſpeciem Laicis non eſſe porrigendam. Cuſanus eo ipſo rectè iudicauit Laicos ab vtriuſque ſpeciei neceſsitate velut ab obligatione ad impoſsibile immunes & liberos eſſe. Quod verò ad noſtrum propoſitum attinet, animaduerto Cuſanum neque in priore ſua opinione firmum cōſiſtere potuiſſe, & demum eò inclinaſſe, vt non negaret hæc verba (*niſi manducaueritis*) obligare Chriſtianos ad aliquam ſumptionem ſacramentalem, nimirum ad eam quæ ipſis ab Eccleſia diſpenſabitur. — 1. Cor. 4.

Eadem mente fuiſſe videtur Paulus Burgenſis in ſuis additionibus ad Lyranum in pſal. centeſimum decimum, vbi Laicos ex concilio tantùm ad Euchariſtiæ perceptionem propter hæc verba (*niſi manducaueritis*) obligari ait. — In pſal. 110.

S. verò Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, cùm de effectibus Euchariſtiæ ageret, inter alia ſic refert: Conſideratur effectus Euchariſtiæ ex modo quo traditur, quia (traditum per modum cibi & potus, vnde omnem effectum quem facit cibus materialis quoad corpus) quia ſuſtentat, auget, reparat & delectat, hoc totum facit hoc Sacramentum, quoad vitam ſpiritualem. Vnde Ioannis ſexto, *Caro mea verè eſt cibus* (& paulò pòſt) *Nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem huius Sacramenti, niſi ex aliquali voto ipſius vel per ſeipſum, ſicut adultus, vel ex voto Eccleſiæ, ſicut paruuli.* — In ſum. de ſacr. Euc. inſtit. cap. 12. 86. — Nota.

Dionyſius autem Recelius Carthuſianus etiam longè poſt Huſſitarum hæreſim ita ſcripſit in ſextū caput Ioannis. Sacr. Euchar. inſtituit Chriſtus dupliciter: primò, verbo ſeu aſſertione: ſecundò, facto ſeu conſecratio- — In 6. c. Ioan.

ne. De prima inſtitutione nunc agitur: Et in illa verba (*niſi manducaueritis & biberitis*) ait, ſanguinem Chriſti accipit populus ſpiritualiter, & etiam aliquo modo realiter, quia in Sacramento corporis cōtinetur & ſanguis, ſicut & contrà: hæc ille. Tandem verò cùm Lutherus ab Eccleſia deficiens impiè oppugnaſſet transſubſtantiationem: cùmque non multò poſt Zuinglius à Luthero ſe diuidens, realē Chriſti præſentiam pernegaſſet: & tam illi, quàm imitator Zuinglij Oecolampadius affirmarent in ſexto Ioannis de Sacramento Euchariſtiæ propriè non agi: vir omnium Catholicorum iudicio & optimus & doctiſsimus Ioannes Epiſcopus Roffenſis qui cauſam Eccleſiæ nō modò librorum conſcriptione, verumetiam ſui ſanguinis effuſione tutatus eſt, tam acriter aſſeruit (& ex verborum ac rerum circunſtantijs, & ex teſtimonio antiquitatis, & ex neceſsitate corporalis eſus) de Sacramento Euchariſtiæ apud Ioannem agi, vt ad extremum non dubitarit dicere eum deſertum, & reiectum atque reprobatum à Deo, qui diutius contenderet, aut non eſſe Chriſti veram carnem & ſanguinem in Euchariſtia, aut verba ſexti capitis ad eandem Euchariſtiā nequaquam ſpectare. Vtique non niſi eum intelligens reiectum & reprobatum, qui contra Eccleſiæ authoritatem pertinaciter doceret ſextum caput ad Euchariſtiam nō pertinere, id quod Oecolampadius fecerat. Cùm verò ex altera parte Cardinalis Caietanus non quidem pertinaciter, ſed tamen audacter diceret, caput ſextum de ſacramentali manducatione intelligi non poſſe, mox Ambroſius Catharinus extitit, qui eam opininem velut *falſam & periculoſam* refelleret. Eam igitur ſententiam quæ ſextum caput Ioannis de Euchariſtia tractare ſtatuit, vna cum antiquitate vniuerſa etiam noſtræ ætatis doctiſsimi quiq;

In fine procœmij lib. 5. aduerſus Oecolāpadium.

In lib. annot. aduerſus Caietan.

viri per vniuerſam Eccleſiam ſecuti ſunt: apud Hiſpanos quidam Melchior Cauus in relectione de pœnitentia, Ioannes Viguerius in Inſtitutionibus, tit. de Euchariſtia, Franciſcus Turrianus lib. 3. dogmat. character. Petrus à Soto de Inſtitut. Sacerdotum, lection. 3. de Euchariſtia, Franciſcus à Victoria in ſumma Sacramentorum, Dominicus à Soto in 4. ſententiarum, diſtinct. 11. Ioannes Villetanus de communione ſub vna ſpecie, Alfonſus de Caſtro, aduerſus hær. tit. de Euchariſtia, Ioannes Soarez, tract. 7. in 18. cap. Matthæi, quorum aut ingenijs aut doctrinæ quid poſſit addi, haud facilè ſcias: apud Gallos idem ſenſerunt, Ioannes Arboreus, Theoſophię lib. 5. cap. 13. Claudius Guilliaudus in cap. 6. Ioannis, Perionius lib. 2. topicorum theologicorum, Renatus Benedictus in locorum præcipuorum ſacræ ſcripturæ catholica explicatione, ſiue panoplia chronicorum, aduerſus omnes nunc vigentes hæreſes, Claudius Eſpenceus, in tractatu de vi verbi Dei in ſacris Eccleſiæ myſterijs, Nicolaus Villagagnon ad articulos Caluinianos, lib. 1. cap. 26. lib. 2. cap. 16. Antonius De mochares tom. 2. cap. 2. de ſacrificio Miſſæ: Hagneus in 6. caput Ioannis. Inter Luſitanos idem docuiſſe reperio Gaſparum Caſalium lib. 1. de cœna & calice Domini, cap. 3. Itemque Hectorem Pintam in 45. cap. Iſaiæ: Porrò ex Germanis hoc ipſum tradiderũt Ioannes Diætenbergius in Phimoſtomo in cap. de communione vtriuſque ſpeciei, Conradus Brunus lib. 2. de ceremonijs, cap. 1. Gropperus in lib. de veritate corporis & ſanguinis Domini, cap. 7. Caniſius in Catechiſmo: Hofmeiſterus in homil. in Euangelia: Bloſius in appendice faculæ illuminandis & ab errore auocandis hæreticis accommodæ, Georgius VVicelius ſenior in feſto corporis Chriſti, Franciſcus Sonnius in ſuccinct. demonſtrat. errorum cuiuſ-

dam confeſsionis Caluin. Driedo lib. 4. de ſcripturis eccleſiaſt. cap. 5. Titelmannus in cap. 6. Ioannis. Iam verò ne Angeli quidem ab eadem fide diſſentiunt. Cuthbertus Iunſtallus in lib. de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia. Thomas Morus de ipſo argumento anglicè libellum edidit. Albanus Langdailus lib. Catholicæ confutationis, Reginaldus Polus de Euchariſtia ad Cranmerum. Apud Polonos, Reuerendiſsimus Cardinalis Hoſius idem docuit titulo de Euchariſtia in Catholica confeſsione, itemque Albertus Nouiocampianus in ſcopo biblico cap. de Sacramento Euchariſtiæ. Nec defuit huic cauſæ patronus, vel apud Hungaros Andræas Duditius in oratione ad Synodum Tridentinam. Apud Italos, latè idem argumentum perſecutus eſt Sanctes Pagninus Gucenſis in Iſagoge ad ſacras literas, lib. 10. Thomas Elyſius Neapolitanus idem ſe iudicare oſtendit in clypeo piorum, quæſtio 13. art. 7. Salapuſius in oratione ad Synodum Tridentinam. Marcus etiam Marulus de religioſè viuendi inſtit. lib. 4. cap. 12. Idem de ſexto cap. Ioannis docuit, quibus nuper ſe adiunxit, vir ſummæ tum eruditionis, tum induſtriæ Sixtus Senenſis qui in bibliotheca ſancta lib. 6. annot. 197. 196. Caietanum velut ab antiquitatis conſenſu in hac re paululum declinantem modeſtè notans, tam in ea quàm in præcedente annotatione facilè oſtendit, quid ipſe de 6. cap. Ioannis exiſtimauerit. Poſtremò, Catechiſmus ex Concilij Tridentini decreto Pij Quinti Pontificis Maximi iuſſu editus, tam perſpicuè teſtatur Dominum de Euchariſtiæ Sacramento in ſexto Ioannis capite loqui, vt cùm anteà ſæpiſsimè quædam ſexti capitis verba citaſſet, ad ea quæ Sacramenti Euchariſtiæ ſunt, confirmanda: tandem de communione ſub vna ſpecie agens, apertiſsimè dixerit: Idem *Dominus*

noſter

noſter cùm de hoc Sacramento loqueretur, alterius tantum ſpeciei ſæpius meminit, vt cùm inquit: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: & qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et paulò antè ſcriptum eſt: hæc omnia à Paſtoribus latiſſimè explicabuntur, ſi vel D. Ioannis caput ſextum, in quo multiplices huius Sacramenti affectus aperiuntur, tractandum ſumpſerint, vel admiranda Chriſti Domini facta percurrerint: hactenus Catechiſmi verba. Tantam igitur nubem Catholicorum teſtium ipſe per Dei gratiam Catholicus non reuereri non poſſum. Itaque ſi omnes aliæ rationes deficerent, vel hæc tamen ſola me contineret in hac quam nunc tueor ſententia, ne tot lumina Eccleſiæ negligere, & cum paucis non fortè ad ſobrietatem ſapere viderer. Sed audiamus porrò quid ſoleat ab illis, qui aliter ſentiunt, his tot authoritatibus reſponderi.

CONFVTATVR EA RESPONSIO, quæ ad Patrum authoritates in hac cauſa remouendas afferri ſolet.

CAP. X.

QVi negant ſextum caput Ioannis de Euchariſtiæ Sacramento propriè loqui, non hoc quidem agunt, vt à tot ſanctorum Patrum auctoritatibus ſine graui cauſa diſſentiant (hoc nemo de viris bonis & Catholicis vel ſuſpicari debet,) ſed partim putant Baſilium, Auguſtinum, Bernardum, alioſque aliquot idem olim docuiſſe, quod ipſi nunc doceāt: partim aiunt Chryſoſtomum & Cyrillum ſcribentes

Vide Ioan. Heſ. de communione ſub vnica ſpecie.

tes

bentes in caput ſextum Ioannis, ideo præcipuè Sacramenti Euchariſtiæ mentionem facere, quia in capite Dominus diſſerit de re quæ per Sacramentum Euchariſtiæ ſignificatur: nempe de ſocietate & participio paſsionis Chriſti, & vnione cum Eccleſia, quæ eſt myſticum corpus Chriſti.

REPLICATIO.

Quod ad ſanctorum Patrum ſententiam attinet, quemadmodum iam antè docuimus, Cyprianum & Hieronymum, fruſtrà velut ipſis fauiſſent, ab eis pro duci, ſic etiam de Baſilij, Auguſtini, & Bernardi mente poſteà pleniſsimè dicemus. Interim verò quia negari non poteſt D. Chryſoſtomum & Cyrillum, de Sacramento Euchariſt. velut de re à Domino intellecta clariſsimè loqui, nunc dicendum eſt, id eos ea fide ac perſuaſione feciſſe, quòd verè crederent Dominum de ipſa Euchariſtia, & non tantùm de re per Euchariſtiam ſignificata locutum eſſe. Neque verò hi Patres mentionem tantùm Euchariſtiæ fecerunt, veluti fortuitò aut ex occaſioue quadam in eius rei ſermonem incidiſſent, verùm ea mente fuerunt, vt putarent quædam verba ſexti capitis germanam & propriam ſententiam non aliam habere, quàm vt Euchariſtiæ Sacramentum pollicitarentur. Ac ſanè infinitum eſſet hanc rem tot modis perſequi & exponere, quod illa facillimè declarari poſſet. Illud igitur vnum in primis ſpectandũ eſt, quas rationes illi Patres attulerint ſuæ interpretationis: verùm eas quæ ſolùm ad rem ſignificatam per Euchariſtiam ſpectent, an potius tales quæ ipſius Sacramenti eſſentiam attingant. Chryſoſtomus alicubi quærit, quî factum ſit vt non turbarentur diſcipuli cùm Chriſtum audirent dicentem, accipite, comedite, hoc eſt corpus meum? *quia* (inquit) *multa iam & magna de hoc antea diſſeruit*. Vbi verò Chriſtus

In Matt. homil. 83

ſtus

292

ſtus de Sacramento corporis ſui multa & magna diſſeruit, præterquã Capharnai? Quod ſi multa illic & magna de illo Sacramento diſſeruerat, profectò pertinuit ille ſermo Capharnai habitus ad ipſam Domini cœnam, & non tantùm ad myſticam vnionem Chriſti & Eccleſiæ. Deinde ſuper illa verba (*& panis quem ego dabo, caro mea eſt,*) quærit cur hęc ſolis diſcipulis commuicata non ſint, vti Matthæus eum priuatim cum ipſis loqui teſtatur. At vbi obſecro teſtatur Matthæus Chriſtum priuatim loqui cum diſcipulis de carne ſua in cibum data, præterquàm in vltima cœna? (& pòſt: Quod ſi quis percontaretur, cur myſteriorum ſermonem adduxerit? reſpondebimus quòd horum nunc maximè tempus erat. Obſcuruis enim dictũ ſemper auditorem erigit, & attentiorem reddit. (Et iterum,) Hoc diſcipuli eſt, quæ magiſter aſſerit non curioſius inueſtigare, ſed audire & credere & idoneum ſolutionis tẽpus expectare. Et denique: Quare (inquit) neceſſariò dicendum eſt, quàm admiranda myſteria, & cur data ſint, & quænam eorum vtilitas, & quæ ſequuntur. Præterea in illa verba (*niſi manducaueritis*) ait, frequenter in myſterijs verſatur, & omnino id fieri oportere demonſtrat. Docet ergo Chryſoſtomus hęc verba Chriſti de quibus iam agitur, ad ipſam Domini Cœnam pertinere: idq́ue tam vt præparet Dominus hoc ſermone animos diſcipulorum in tempus opportunum cœnæ ſuæ, in qua cognoſcent ex rebus ipſis quid nunc dixerit, quàm vt interim eos excitet ad interrogandum, & exerceat perminimè curioſam humilitatem atque obedientiam. Cyrillus etiam ſcopum orationis Chriſti in illa verba (*niſi manducaueritis*) ita nobis proponit. *Quomodo carnem ſuam dabit ad manducandũ non docet, quia intelligere illi non potuerunt: quã magna verò bona ſi cũ fide mãducabũt* adi-

Matth. cap. 26.

Hom. 45

In Ioan. lib. c. 13.

adipiſcentur, id iterum atque iterum aperit, vt æternæ deſiderio vitæ ad fidem compellantur, per quam etiam do ceri facilius poterunt. (Et pòſt,) *ſic credentibus diſcipulis fragmenta panis dedit dicens: accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Perſpicis quia ſine fide quærentibus my ſterij modum, nequaquam explanauit, credentibus autem etiam non quærentibus expoſuit.* (Et iterum,) *oportuit certè vt non ſolùm anima per ſpiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verumetiam vt rude atque terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu & cibo ad immortalitatem reduceretur.* Hic primùm modus manducandi Chriſtum negatur à Chriſto Capharnai propoſitus fuiſſe: & tamen modus manducandi, cùm per fidem fuit ibi propoſitus in his verbis, *qui credit in me, habet vitam æternam.* Senſit igitur Cyrillus de alio manducationis modo apud Ioannem agi. Quid quod Cyrillus declarat ſe per manducationis modum intelligere ipſius Euchariſtiæ inſtitutionem. Denique rationem affert cur oporteat etiam corpus noſtrum cognato ſibi, hoc eſt, eiuſdem ſubſtantiæ ci bo ad immortalitatē reduci. Hæ rationes vnioni my ſticæ quæ per fidē viuā in ſpiritu fit, non tam conue niunt, quàm ipſius Euchariſtiæ inſtitutioni & participationi, vt iam fruſtrà dictum ſit, *Chryſoſtomum & Cyrillum facere mentionem Euchariſtiæ, quia Dominus in ſexto capite diſſerit de vnione myſtica:* cùm ideo faciant mentionem Euchariſtiæ, quia verè credunt Dominum de Euchariſtia propriè locutū eſſe. Nec aliter ſenſiſſe Auguſtinum, Baſilium, aut Bernar. poſteà planū fiet. Nūc audiamus quoddā genus aliud ſolutionis. Sancti (inquit Ruard.) interpretando ac-
Tom. 2. art. 15. pag. 275. commodant verba Saluatoris ad eſum & potum ſacramentalem, maximè quia in eorū Eccleſijs mos obtinebat, quod ſub vtraque ſpecie toti populo Sacramentum miniſtraretur, & quia perfectiſsimus eſt

hic

hic modus manducandi carnem & bibendi ſanguinem ſubſtantialiter ſub Sacramento præſentem, & verba Saluatoris in ſacramentali manducatione, plenius & perfectius implentur, atque cum fructu maiore. Frequens eſt quod in homilijs ſcripturas accommodent doctores pro captu & ædificatione auditorum, hæc ille.

REPLICATIO.

Triplex hic ratio affertur ob quam ſancti putentur accommodare verba ſexti capitis ad Euchariſtiam. Mos communicandi ſub vtraque ſpecie, modus manducandi carnem Chriſti perfectiſsimus in Sacramento, & mos Patrum in accommodando ſcripturas in homilijs ad auditorum ædificationem. Cæterum hæ tres cauſæ illud ante omnia ponunt, ac quod verum non eſt, ſibi pro vero ſumunt, quod ſancti Patres accommodant hæc verba ſexti capitis ad aliquem ſenſum non germanum neque literalem. Nos verò negamus iſtam accommodationem quæ prætexitur. Illi enim ſeriò ſecundum fidem & doctrinam maiorum, non ſine multis precibus & vigilijs, magna ingenij contentione inueſtigarunt literalem & maximè proprium Euangelij ſenſum. Sic ſolent D. Chryſoſtomus & Cyrillus interpretari ſcripturas, nec ab eorum veſtigijs Theophylactus & Euthymius ferè diſcedunt. Non rectè igitur afferuntur in medium rationes eiuſmodi, quæ fragili & prorſus incerto nituntur fundamento. Si enim vel minimo verbo negauerim, (ſicuti certè nego) Patres accommodaſſe, aut ad alienum aliquē ſenſum tranſtuliſſe verba ſexti capitis, tunc omnes hæ rationes corruerunt, vtpotè quæ ponunt iſta Domini verba non propriè à Patribus explicata eſſe. Atqui vnde quiſquam præſtabit, aut qua veriſimili oratione vnquam docebit ſanctos Patres in vlla parte alia ſcri-

pturæ

pturæ ſanctæ aut ingenioſius, aut ſyncerius, quàm in ſexti capitis interpretatione verſatos eſſe? Quapropter ſi Patres verè poſſunt dici verba ſexti capitis ad eſum ſacramentalem aliter quàm Chriſtus ea propriè intellexit, accommodaſſe: cur non idẽ quoq; iudicium facias de ijſdem Patribus in verbis primi ſecundi aut 3. cap. apud Ioan. exponẽdis? Nõne mox cõtendet Caluiniſta quiſpiam eoſdẽ Patres etiã illa

Ioan. 3. verba Chriſti (*niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto*) ad baptiſmi Sacr. aliter quã ea Chriſtus intellexit, accõmodaſſe? Quid ergo illi reſpõdebis? Verũne aquã ibi nominatã eſſe? At & hic nominata eſt caro, nominatus eſt ſanguis, & quod eò plus eſt, nominata eſt etiam datio carnis in poſterũ futura, cùm ibi ablutio quædam futura non ſit expreſſa. Iam verò non tantus olim vtriuſque ſpeciei vſus erat, quin etiam Patres nouerint & aliter ante ſuã ætatem ſæpe cõmunicatum fuiſſe, & aliter ſua ætate iure com-

Vide Cyprianum de lapſis. municare poſſe. Portabant enim Laici Euchariſtiam de manu ſacerdotis acceptam in domos ſuas, idque non ferè niſi ſub ſpecie panis, vt cùm expediret, illam percipere poſſent. Cùm igitur præceptum Chriſti violatum pœnam æternæ vitæ contineat, patres in eo interpretando, non tam ad conſuetudinem populorum fidelium, quæ varia erat, quàm ad veritatem fidei & verborum Domini reſpexerunt, vt ad eam

In cap. 6. Ioannis. populi mores conformarent. Quid quod tametſi D. Thomas & nouerat populum ſub vna ſpecie ſua ætate communicaſſe, & fatebatur conſultius eſſe vt ita faceret, nihilominus caput ſextum Ioannis de Euchariſtia propriè loqui exiſtimabat, non igitur vtriuſque ſpeciei qualiſcumque conſuetudo fecit vt ſextum caput ita explicaretur ab antiquis patribus. Nam quod ſecundo loco dicitur, *carnem Chriſti perfectiſsimè in Sacramento manducari, & verba Sal-*

294

uatoris in ſacramentali manducatione plenius impleri, hoc totum à nobis vehementer ſtat. Quid enim obſecro impedit quo minus ea interpretatio cuiuſque ſcripturæ ſit maximè propria, per quam &rés qua de agitur perfectiſsimè fit, & verba quæ illam præcipiunt, plenius implentur? Chriſtus apud Ioan. proponit perfectiſsimā ſui corporis mãducationē, quod inde liquidò apparet, *quia eam proponit, per quam non ſolùm venitur ad ipſum, ſed præterea manetur in ipſo, vt eam ex qua viuitur propter ipſum, quæque implet figuram mannæ perfectiſsimè, tam ea ratione qua manducat aliquis ex Chriſto, quàm illa etiam qua manducat Chriſtum. Denique ob quam manducationem viuet in æternum, & reſuſcitabitur in nouiſsimo die.* Nec vlla poteſt cogitari perfectior manducatio Chriſti quàm hæc ſit: nam modus manendi in ipſo, & modus viuendi propter ipſum, & modus manducandi hunc panem vitæ, eſt longè perfectiſsimus. At manducatio perfectiſsima Chriſti eſt in Euchariſtia: & ibi verba Chriſti ex aduerſariorum confeſsione plenius quàm alibi implentur. Igitur apud Ioannē de manducatione Chriſti in Euchariſtia diſſeritur. Veniamus nunc ad tertiam Ruardi rationē. *Patres* (inquit) *in homilijs accommodant ſcripturas pro auditorum captu & ædificatione.* Equidem fateor hoc in illis homilijs nonnunquam euenire, quæ non dedita opera ob explicationem Euangelij, ſed per aliam occaſionem fiunt. Cæterum D. Chryſoſtomus hoc ipſum agebat in homilijs, vt germanum Chriſti & D. Pauli ſenſum plebi exponeret. Nec vllus ferè alius magis accuratè inueſtigauit verum ſcripturæ ac literalem ſenſum. Porrò Cyrillus non videtur ſuas interpretationes apud populum tam frequenter propoſuiſſe: & ſanè etiamſi maximè propoſuit, tamen literalem verborum ſententiam in primis quærit & ſectatur.

Apud Ruardū vbi ſupra

tur. At verò quot præterea teſtes adhibemus, qui rarò aut nunquam homilias dictarint? Ex ijs patribus quos in ſuperiore capite nominauimus. *D. Athanaſius in Synopſi*, *Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, *Cyrillus*, *Theophylactus*, *Euthymius*, *Rupertus*, *Thomas de Aquino*, *Nicolaus de Lyra*, *Dionyſius Carthuſianus*, *Ambroſius Catharinus*, *& Claudius Guilliandus* in Euangelium Ioannis commentarios ediſſe ſciuntur, vt omittam Origenem, cuius integri commentarij non extant, licet eius de hac re ſententiam aliũde iam intellexerimus. Hi omnes atque etiam alij quàm plures non fortuito in homilijs ad plebem accommodarunt, neſcio quas ſexti capitis particulas ad Sacramentum Euchariſtiæ, ſed cùm veritatem Euangelij, magna induſtria, labore, meditatione quęrerent, peterant, expoſcerent. Omnes demum in eo conuenerunt, vt de Sacramento Euchariſtiæ Dominum locutum eſſe affirmarent: adeo vt id ipſum negare ne in mentem quidem cuiquam illorum veniſſe videatur. Nec minoris apud me ponderis & momenti ſunt, Baſilius, Hilarius, Ambroſius & Damaſcenus, qui licet ipſum Ioannis Euangelium non interpretarentur, tamen in diſputatione, quam contra hæreticos inſtituerunt, eandem rem pro Catholica & notiſsima veritate habuerunt. Proximum ordinem tenent Hieronymus, Gregorius, Theodoretus, Caſsidorus, Sedulius, Primaſius, Iſychius, Beda & Haymo, qui ſaltem in alios ſacræ ſcripturæ libros, cùm ſecundum literalem ſenſum ſcripſerint, parabolicè abuſi eſſe verbis Domini apud Ioannem intelligi non debent. Ex his autem qui homilias ad plebem dictarunt, nõ multos adhibuimus teſtes, ſed eos valde graues: cuiuſmodi ſunt Cyprianus, Euſe. Emiſ. & Leo, qui certè non valde ſolent à literali ſenſu ad allegoricum ſcripturas accommodare. Hoc qui-

Hi Ioannis Euãgelium intérpretati ſunt

Hi hęreticos nõ tam per allegoricas quã per literales interpretationes confutarũt.

Hi omnes ſecũdũ literã quoſdã ſcript. libros explicarũt.

Hi ſcripſerunt homil.

quidem in loco præpoſui tot Patrum tam ſingularem conſenſum ipſis Oecumenicis concilijs, partim quia non video iſtam quæſtionem perſpicuè definitam in vllo Concilio (nec enim res talis erat, de qua dubitari vnquam poſſet:) partim quia concilium maximè Oecumenicum illud videtur in quo ſimul conueniunt, & eandem veritatem ſimul docent ac tradunt: ex Græcis, Origenes, Athanaſius, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theodoretus, Damaſcenus, Germanus, Theophylactus, Euthymius: ex Latinis, Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Euſebius, Auguſtinus, Sedulius, Leo, Gregorius, Caſsiodorus, Primaſius, Iſychius, Iſidorus, Beda, Haymo, Paſchaſius, Adelmannus, Algerus, VValafridus, gloſſa tum interlinearis, tum ordinaria, Rupertus, Bernardus, Petrus Cluniacenſis, Innocentius tertius & quintus, Albertus, Thomas Aquinas, Bonauentura, Ioannes Scotus, Lyranus, Gerſon, VValdenſis, Antoninus, Cuſanus, Dionyſius, Roffenſis, Ambroſius, Catharinus, Canus, Viguerius, Alfonſus de Caſtro, Franciſcus à Victoria, Dominicus à Soto, Villetanus, Guilliandus, Arboreus, Hector Pintus, Tonſtallus, Langdailus, Morus, Marulus, Hoſius, Elyſius, Sixtus Senenſis, & poſtremò Catechiſmus Romanus, præter alios innumerabiles, qui ſextum caput Ioannis de Euchariſtia in homilijs & diſputationibus ſuis interpretati ſunt. Ac pauci quidem tales in ſingulis Concilijs conuenerunt. Fuit in toto Nicæno Concilio vnus Athanaſius: in tota Carthaginenſi vnus Auguſtinus: in toto Epheſino, vnus Cyrillus. At in hoc noſtro (quod de ſexto capite Ioannis iam congregatum eſt) quot, & quanti Patres, quã plenè ſententiã ſuã per tredecim atque eò iam amplius ętates continua ſerie ſummo conſenſu dixerunt: vt meritò mihi liceat hoc in

Contra Iul.lib.2. in epil.

loco illud Auguſtini contra Iulianum commemorare. *Si epiſcopalis ſynodus ex toto orbe congregaretur, mirum ſi tales poſſent illic facilè ſedere tot, quia nec iſti vno tempore fuerunt.*

Hic eſt 6 ex octo interpretandi modis.

OECVMENICORVM ET particularium Conciliorum authoritas ſextum caput Ioannis ad Euchariſtiam referendum eſſe exiſtimauit.

CAP. XI.

CVm fieri non potuerit, vt tot antiqui Patres etiam ſeorſim diuerſis in locis agentes in explicando ſexto capite Ioannis errarent, certè nec illi eadem in cauſa errare potuerunt, qui ex varijs Eccleſijs in vnum locum hæreſis extirpandæ cauſa conuenêre. *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine Chriſti, ibi ipſe eſt in medio ipſorum.* Nectorius autem impiè docens duas fuiſſe perſonas in Criſto, vnam Dei, alteram hominis, eam hæreſim inde confirmare voluit, quia Dominus dixiſſet, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Itemque qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Quid (inquit Neſtorius) manducamus? diuinitatem ne an carnem. Sic igitur argumentabatur Neſtorius: Diuinitas Chriſti non comeditur, caro autem Chriſti, atque etiam ipſe Chriſtus in Sacramento comeditur: ergo alius eſt Chriſtus Deus qui non comeditur, & alius Chriſtus homo. cuius caro in Euchariſtia comeditur. Hæc ille hæreticus. Porrò cùm Cyrillus vna cum Epiſcopis Aegypti Synodum Alexandriæ contra Neſtorium indixiſſet,

Matt. 18.

Apud Cyril.lib ad Enoplium in oppo.ad anathematiſmũ vndecimum.

ſet,

ſet, inter cætera etiam prædicto Neſtorij argumento in ea epiſtola reſponſum eſt quàm poſtea ſynodus Epheſina comprobauit. Patres igitur iam reſpõſuri Neſterio, non eò confugerunt, vt negarẽt apud Ioannem de Euchariſtiæ Sacramento actum eſſe: quod tamen reſponſionis genus ſi verè potuiſſet adhiberi, facillimum profectò extitiſſet. Nam ſi de ſola manducatione ſpiritali apud Ioannem agitur, non eſt iam dubium diuinitatẽ ſic poſſe à nobis comedi. Etenim ſi edere & manducare apud Ioannem nihil eſt aliud, quàm credere. Cùm proprijſsimè credamus in diuinitatem (iuxta illud, credite in Deum & in me credite, vtique ſic etiam comedimus diuinitatem. Poterat igitur dici quod falſum aſſumſiſſet Neſtorius cùm diceret diuinitatem non comedi, ac ſimul declarari debuit quid eſſet apud Ioannem manducare carnem Chriſti. At nunc etſi nefarius ille abutebatur verbo Dei ad ſtatuendam hæreſim ſuam, tamen doctiſsimi patres non ſunt vſi eo genere defenſionis, vt negarent apud Ioannem de ſacramentali manducatione agi, ſed è contrario ingenuè fatentes illa verba quæ Neſtorius ex capite ſexto citauerat, pertinere ad Euchariſtiam, reſponderunt nihilominus carnem communem aut ſolius hominis propriam in Euchariſtia non comedi, ſed comedi carnem verbi Dei propriam, hoc eſt, filio Dei in eadem perſona vnitã, & ita licet diuinitas non ſic propriè aut per ſe comedatur, vt id comeditur quod in os accipimus, tamẽ dum caro Chriſti ſic comeditur, nos interim viuificamur, quia illi carni annexa eſt diuinitas & viuificandi virtus. Hæc aũt ſunt epiſtolæ à Concilio miſſæ verba: *Sicut incruentam celebramus in eccleſijs ſacrificij ſeruitutem, ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes ſancti corporis, & precioſi ſanguinis Chriſti, omnium* Ioan. 14. In ep. ad Neſtor. 1. tom. Concil. In cõcil. Epheſin.

noſtrum redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentis habitationem, ſed verè viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus exiſtens, quia propriæ carni vnitus eſt,
Ioan. 6. *viuificatricem eam profeſſus eſt. Et ideo quamuis dicat ad nos, amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non tamen eam, vt hominis vnius ex nobis, exiſtimare debemus (quo modo enim iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe caro poterit hominis?) ſed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis eſt factus & vocatus.* Id animaduertendum mihi videtur, quòd cùm verba ſexti capitis ab hæretico Neſtorio ad Euchariſtiam referrentur, tantùm abeſt, vt hoc in eo ſancta ſynodus reprehenderet, vt potius ipſa ſynodus vltrò confiteatur ac doceat illa verba, *niſi manducaueritis carnem filij ho-*
Ioan. 6. *minis* ad benedictiones myſticas ſpectare, quanquã nõ eo ſenſu, quo Neſtorius putabat. Conc. verò Nicænum ſecundum, ſic habet: Nemo vnquam ſanctorum apoſtolorum, qui tubæ ſunt ſpiritus ſancti, aut glorioſorum Patrum noſtrorum, incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam paſsionis Chriſti Domini Dei noſtri, & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginem corporis illius dixerit. Nam is qui accepit à Domino, ſic non dicit aut confitetur, ſed audiunt eum ſic dicentem euangelicè: *Niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non intrabitis in regnum cælorum: & qui manducat carnem*
Matt. 26. *meam & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et cùm accepiſſet panem, & gratias egiſſet, fregit & dedit diſcipulis ſuis, & dixit: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum.* Nónne ſatis apertè iam conſtat ſacroſanctam ſynodum (quoad Euchariſtiam) eodem loco habuiſ-

ſe caput ſextũ Ioannis,quo ipſam Domini cœnam?
Non multò autem pòſt videmus Concilium Cabilonenſe ſecundum ita decreuiſſe. *In perceptione corporis & ſanguinis dominici magna diſcretio adhibenda eſt.* Cap.46. concil.
Cauendum eſt enim,ne ſi nimium in lõgum differatur, ad tom.3.
perniciem animæ pertineat, dicente Domino, *niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis.* Ioan.6.
Si verò indiſcretè accipiatur,timendum eſt illud quod ait Apoſtolus: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* 1.Cor.11.
Concilium Senenſe cùm probare vellet Can.10.
viuificum eſſe Euchariſtiæ Sacramentum , vna cum De adm.
alijs vtitur etiã ijs Domini verbis: *Caro enim mea verè* Sacr.c.13
eſt cibus. Idem facit Concilium Colonienſe pluribus in locis. & 17.
Veniamus poſtremò ad Conciliũ Tridentinum,vbi manifeſtè videmus caput ſextum ad Trident. cap.2.
Euchariſtiam referri,his verbis: *Saluator noſter ſumi voluit Sacramentum hoc,tanquam ſpiritualẽ animarum cibum,quo alantur & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me , & ipſe viuet propter me.* Ioan.6.
Manducare igitur Chriſtum apud Ioannem eſt ſumere Sacramentum Euchariſtiæ . Viuere autem propter Chriſtum,eſt ſpiritaliter ex illo cibo ali & confortari. Tum autem poſtea cùm de cõmunione ſub vtraque ſpecie ageret, vt contra Lutheranorum errorem negauit ex inſtitutione Domini Laicos & Clericos non conficientes corpus Domini , ad vtramque ſpeciem aſtringi , ſic adijcit contra Huſſitas: Neque ex ſermone illo apud Ioannem ſexto,rectè colligitur vtriuſque ſpeciei cõmunionem à Domino præceptam eſſe, vtcunque iuxta varias ſanctorum Patrum & doctorum interpretationes intelligatur. Seſſ.21. cap.1.
Quo ex loco etſi apparet noluiſſe ſynodum nominatim illo tempore decernere quis eſſet maximè proprius & germanus verborum domini ſenſus

apud Ioannem, propterea quod varias ſanctorum patrum & doctorum interpretationes in vtramque partem afferri videret, neque tūc vacaret omnia quæ quoquo modo in quæſtionem inciderent, ſtatim definire: tamen id maximè conſtat, cùm facillimus & tutiſsimus defenſionis modus exiſteret negare ſextum caput àd Euchariſtiam propriè ſpectare, non cauſam eſſe ſynodum ea defenſione contra Huſsitas vti, ne ab antiquorum pàtrum quos ſemper ſecuta eſt conſenſu, ex vlla parte diſcederet. Quod ergo ſacroſancta Synodus etiam cùm id commodo futurum eſſet contra Huſsitas, tamen non eſt auſa facere, vt negaret Chriſtum de Sacramento Euchariſtię in ſexto Ioannis locutum eſſe: hoc priuati homines in ſe ſuſcipient, & à tanta Patrum & Conciliorum cōcordia alios reuocare non verebūtur? At inquies, neque Synodus auſa eſt ſtatuere vtrum de Euchariſtia ibidem tractetur. Quaſi verò tum id ad rem pertineret. Cùm enim ab Huſsitis premeretur authoritate ſexti capitis, quid ad eam rem pertinuit, ſi cauſam Euchariſtiæ illic proponi ſub anathematis ſanctione affirmaret. Nónne hoc ipſum aduerſarij vrgebant? Si poſſet igitur negare mentionem ibi de Euchariſtia fieri, hoc quidem plurimum ad rem ipſam intereſſet. Cæterum vt aſtrueret ſextum caput ad Euchariſtiam ſpectare, nihil prorſus ad reſponſionem Huſsitis accommodādam pertinebat. Quod igitur in tali re fieri decuit, ſacroſancta ſynodus omiſſa illa quæſtione, quæ ſuperuacanea tunc futura erat, vtrum propriè apud Ioannem Sacramentum corporis Chriſti promittatur nec ne, reſpondit quidē, etiam ſi hoc vel maximè ita ſit, non inde probari vtriuſq; ſpeciei neceſsitatē: quia ibidem legitur, *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, in quibus verbis vel ſoli manducationi panis æterni, abſque

eo quod mentio potationis fiat, vita ætrrna promittitur. Itaque tametſi nominatim nulla ſynodus id adhuc examinarint, an ſextũ caput Ioannis propriè contineat promiſsionẽ Sacramenti corporis & ſanguinis Domini, tamen in eo vincimus quod multarum ſynodorum auctoritate hoc pro confeſſo habetur, cùm interim nulla omnino id negare auſa ſit. Meminerint autem qui ſe non tantùm dicere apud Ioannem de ſpiritali manducatione agi (quod nemo vnquam negauit) ſed præterea negare, quod ibi propriè de vlla ſacramentali manducatione agatur. Hãc negationem iam primùm à ducentis annis inuentam eſſe affirmo, nec vllius aut concilij aut doctoris grauis authoritate niti, ac propterea probabiliter defendi.

IPSAM PRAXIM ECCLEſiæ atteſtari, quod in ſexto Ioannis de Euchariſtia ſermo fiat.

Hic eſt 7 ex octo interpretandi modis.

CAP. XII.

IN ſcripturis aut diſcernendis vtrum canonicæ ſint, aut interpretandis, illa ſemper ratio prudẽtiſsimis viris ſummè probata eſt, vt eccleſiarum catholicarum quàm plurium & quàm grauiſsimarum authoritatem ſequamur. Ac in diſcernendis quidem ſcripturis hanc regulam Auguſtinus præſcripſit in libris de doctrina Chriſtiana. In iiſdem verò interpretandis hac ipſe regula vſus eſt, cùm in Pauli verba ſcribens (*obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, interpellationes, gratiarũ actiones*) ita inquit, *eligo in his verbis hoc intelligere quod omnis vel pene omnis frequentat Eccleſia*. Eodem igitur modo cũ iã quæratur de interpretatione ſexti capitis, eligo in cap. eius verbis hoc intelligere quod omnis vel penè omnis frequentat Eccleſia, Cũ enim Eccleſia feſtum cor-

Aug. de doctrina Chriſti lib.2.c.8.

2.Tim.2

In ep.59.

corporis Chriſti iamdiu celebrarit, idque ſemper in more maiorum poſitum fuerit, vt quoties aliquid in Euãgeliſtis propriè ad tale feſtum pertineat, id potiſsimum loco Euangelij palam legatur: cumque Eccleſia legat ea quæ habẽtur in ſexto capite Ioannis in feſto corporis Chriſti: ex eo ipſo apparet Eccleſiam credere quod ſextum caput Ioannis ad Sacramentum corporis Chriſti referendum ſit. Nam cùm potuiſſet vel ex vigeſimo ſexto Matthæi, vel decimo quarto Marci, vel ex vigeſimo ſecundo Lucæ hiſtoriam Euchariſtiæ recitare, neque tamen id fecerit, ſed ex Ioanne illa verba recitari voluerit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & quæ ſequuntur. Profectò ſatis manifeſtè declarauit illa verba de Sacramento Euchariſtiæ dicta eſſe. Nã alioqui abſurdum eſſet vt Eccleſia feſtum Euchaſtiæ ſecundum Euangelium celebratura, cùm ſatis multa ibi de illo feſto ſcriberentur, tamen pro Euangelio illud legeret, quod nihilo magis ad Euchariſtiam quàm ad baptiſmum, aut ad viuam fidem ſpectaret. Nã quod in aſſumptione B. Virginis legatur Euangelium de Martha & Maria, id inde euenit, quia nihil erat de ipſa aſſumptione in Euangelijs cõſcriptum. At cùm tanta extent de Sacramento corporis Chriſti ab omnibus Euangeliſtis perſcripta, nunc putare Eccleſiam, illis omnibus relictis, ea elegiſſe, quæ non propriè ad hoc Sacramentum pertinerent, hominũ eſt nõ ſatis preclarè de eo exiſtimãtium, quòd ſponſa Chriſti publicè profitetur & agit. Non enim vna aut altera prouincia hoc agit, ſed Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, Germania, Bohemia, Polonia, Hungaria, multæque aliæ regiones idipſum multis iam ſeculis palàm apertèque egerũt, vt meritò magni æſtimari debeat, quod tot ac tam illuſtribus Eccleſijs placuit. Iam id ſolùm reſtat, vt

Remouetur obiectio

reſpon-

299

reſpondeamus ijs argumentis quæ pro ſententia cõtraria proferri ſolent.

PROPONVNTVR VERBA quædam ex D. Baſilio, quæ videntur aliter quàm nos fecimus, carnem Chriſti & ſanguinem apud Ioannem interpretari.

CAP. XII.

PRimum proponatur nobis illud, *ego viuo propter patrem*. Hoc enim eſt vnum telum ex his quæ in cælum mittuntur ab impijs ipſo vtentibus. Hic autem per hoc quod dicit, non ipſam ante ſecula vitam, velut puto nominat. (Omne enim quod propter alium viuit, vita per ſe eſſe non poteſt: quemadmodum neque quod ab alio calefactum eſt, per ſe caliditas eſſe poteſt Chriſtus autem et Deus noſter dixit: *ego ſum vita*: ſed vitam hanc in carne & in hoc tempore factam, *quam propter patrem vixit*. Ex ipſius enim voluntate ad hominum vitam acceſsit, & nõ dixit, ego vixi propter patrem: ſed *ego viuo propter patrem*, manifeſtè præſens tempus ſignificans. Poteſt autem & vitam dicere, *quam viuit Chriſtus, verbum Dei habens in ſeipſo*, & quod hoc eſt id quod ſignificatur, ex hoc quod infertur ſciemus: *& qui ederit me*, inquit, *viuet propter me*. Edimus enim ipſius carnem, & bibimus ipſius ſanguinem, per incarnationem & ſenſibilem vitam participes euadentes verbi & ſapiẽtiæ. *Carnem enim & ſanguinem, totum ſuum myſticum aduentum nominauit, & doctrinam ex actiua & naturali ac theologica conſtantem indicauit*, per quam nutri- Baſil. 141

tritur anima, & interim ad veritatis ſpeculationem præparatur. Hactenus Baſilius, de cuius mente ac ſententia plenius iam mihi dicendum eſt.

Hic incipit 8. & vltimus ex octo interpretandi modis.

DIVVM BASILIVM SENtire quod in ſexto capite Ioannis de Euchariſtia ſermo fiat.

CAP. XIII.

QVanquam in tanto reliquorum patrum conſenſu non magni retuliſſe debebat. Si vnus aut alter minimè ſuffragatus eſſet, ac propterea mihi diſsimulare licuiſſet, quid ſeorſim aut D. Baſilius aut quiſquam alius opinaretur: tamen quia magno dedecori hæc res Baſilio Magno futura eſſet, ſi tanto in negotio in eodem cum reliquis patribus vnitatis ſpiritu non reperiretur, non minus illius honoris, quàm veritatis ipſius cauſa faciendum mihi iudicaui, vt in eius quoq; ſententiam accuratè inquirerem, nec ab ea re paterer me vlla difficillimi loci obſcuritate retardari: Sic ergo res habet. Arriani coëſſentialem patri filium negantes, videri volebant id confirmare, quia Chriſtus apud Ioannem dixiſſet, *ego viuo propter patrem:* quicquid (inquiunt) viuit propter aliud, non eſt vita per ſe: Chriſtus autem fatetur ſe propter patrem viuere, Chriſtus igitur non eſt vita per ſe, quod autem non eſt per ſe vita, non eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum Deo patre, quem per ſe vitam
1. eſſe conſtat: hæc illi. Quorum argumento D. Baſilius ſic velut duplici modo reſpondet, vt primùm dicat, Chriſtum & temporali quadam vita viuere incœpiſſe, quando verbum caro factum eſt, &

præ-

præterea æternam ante ſęcula vitam habuiſſe apud Deum patrem. Quod ergo legimus eum *viuere propter patrem*, id putat non de æterna, ſed de temporali vita dictum eſſe. Vnde non ait Chriſtus, *vixi, ſed viuo propter patrem.* Deinde (inquit Baſilius) *poteſt & vitam intelligere, quam viuit Chriſtus verbum Dei habens in ſeipſo.* Quo vtique ſignificat vir doctiſsimus, Chriſtum viuere etiam propter patrem, quia verbum Dei cùm ſit quod à patre emanauit, patris naturam & ſubſtantiam totam in ſeipſo habet. Itaque filius viuit propter patrem, tum quia temporalem carnis vitam patri (à quo miſſus eſt in mundum) acceptam fert: (quod verum eſſet etiamſi pater extra ipſum eſſet) tum quia ſubſtantiàm patris in ſe præſentem habet, à quo viuificatur caro ipſius. Et hæc ſecunda interpretatio adiicit nonnihil ad priorem. Nam per priorem id tantùm docemur, quod de illa vita Chriſti agatur, quam ſecundum carnem à patre habet. Per hanc verò ſecundam docemur etiam quod propter verbi præſentiam in ſe vitam in carne habet. 2.

Deinceps autem Baſilius id præſertim quod ſecundo loco dixit ex verborum Chriſti collatione probat. Sequitur enim apud Ioannem, *& qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Cùm ergo ea ſit proportio vitæ Chriſti ad patrem, quæ eſt vitæ noſtræ ad Chriſtum, melius intelligemus quo ſenſu dicatur Chriſtus viuere propter patrem, ſi alteram ſimilitudinis partē cognouerimus, videlicet quo ſenſu nos manducantes Chriſtum, dicamur viuere propter ipſum. Eſt igitur oſtendendum D. Baſilio, primùm quòd Chriſtum in nobis habeamus (vtique per manducationem carnis eius) ſicuti & Chriſtus Dei verbum in ſe habet. Deinde quod viuimus propter Chriſtum, ſicut & is viuit propter patrem. Quoad manducationem, ita ait: edimus enim ipſius carnem 3. 4.

&

& bibimus ipſius ſanguinem. Vt ergo caro & ſanguis Chriſti corporaliter eſt in nobis dum per Euchariſtiam accipitur, ſic verbum Dei eſt in Chriſto corporaliter dum is in carne mittitur. Atque hoc modo prior ſimilitudinis pars inter Chriſtum & nos explicata eſt. Iam verò quoad ſecũdam partem, hoc eſt, quoad vitam noſtrã, qua propter Chriſtum viuimus, ſequitur apud Baſilium conſortes (aut participes) euadentes verbi ac ſapientiæ, per incarnationem & ſenſibilem vitam. Sic enim non dubito Græca fuiſſe vertenda. Errarunt autem qui conuerterunt, participes euadentes ſenſibilis vitæ. Neque vero ſenſibilis vitæ Chriſti participes nos fieri Baſilius affirmat, ſed per ſenſibilem vitã Chriſti nos ait participes euadere verbi ac ſapientiæ. Nam incarnatio & ſenſibilis vita Chriſti, eſt modus quo participes reddimur carnis eius. Omnino igitur tria ſunt nobis ob oculos ponenda, quæ ſecundum naturæ ordinem ita euenerunt. Primùm, Chriſtus eſt incarnatus, ac ſenſibilem vitam egit in hoc mundo. Deinde carnem ſuam edendam & ſanguinem potandum nobis in Sacramento dedit. Poſtremò ex hac comeſtione reddimur verbi ac ſapientiæ participes, ita vt viuamus propter filium quem iam in nobis habemus, ſicuti Chriſtus viuit propter patrem cuius naturam in ſeipſo habet. Ex ijs tribus primum & tertium concedunt: nam & Chriſtum incarnatum, & nos per quandam comeſtionem illius viuere fatentur. Sed quod Baſilius ſignificet huius vitæ cauſam, in Sacramento collatam eſſe, id verò pernegant. A quibus id primùm quæro. Vtrum Baſilius non doceat Chri-

Διὰ τῆς ἐνανθρωπήσεως, καὶ τῆς αἰσθητῆς ζωῆς.

1. ſtum (quando ait ſe viuere propter patrem) illam vitam dicere, quam viuit Chriſtus, verbum Dei in ſe-
2. ipſo habens. Hæc enim ſunt ipſa Baſilij verba. Deinde quæro, vtrum illud (in ſeipſo) non intelligatur

ſe-

ſecundum id quod homo eſt. De hac quippe vita
Chriſtum loqui Baſilius antè declarauit. Tū autem
quæro, quando Baſilius affirmat Chriſtum habere 3.
verbum Dei in ſeipſo, an per illud (habere) non intel
ligat plenitudinem diuinitatis corporaliter inhabi-
tare in carne ſua. Nam quod per ſolam participatio-
nem Chriſtus vitam ipſam in ſeipſo habuiſſet, nec
Arriani negaſſent. Sed quod verbum Dei promanās
ex naturali patris eſſentia in ſeipſo Chriſtus habue-
rit, id vt Arriani negabant, ſic Baſilius & credidit, &
iam affirmauit. Quid verò? an non etiam addit Ba-
ſilius prædictam ſententiam (quod ſcilicet Chriſtus 4.
viuat verbum Dei in ſeipſo habens) ex eo quod a-
pud Ioannem infertur, confirmari? Et quid obſecro 5.
infertur vel apud Ioannem, vel apud Baſilium, niſi
hoc, *& qui manducat me, viuet propter me.* Porrò hæc 6.
verba ſignificant duo hæc: primùm quod manduca-
mus Chriſtum: deinde quod viuimus propter illum.
Ex ijs duobus probandum eſt Baſilio (per modum 7.
ſimilitudinis) non modò quod Chriſtus viuit pro-
pter patrem, ſed quod viuit verbum Dei in ſeipſo ha 8.
bens. Illud autem (quod Chriſtus verbum Dei in ſe-
ipſo habet) non probatur per hanc ſimilitudinis par
tem, in qua nos dicimur viuere propter Chriſtum.
Nam illa pars reſpondet ei vitæ quam viuit Chri-
ſtus in carne. Ac nimirum ex eo quod vt Chriſtus
viuit ſic & nos viuimus: nihil aliud contra Arrianos
infertur, quàm in Chriſto vitam eſſe, quia & in no-
bis vita eſt, id quod illi non negaſſent. Quod verò
vita quam Chriſtus viuit in ſeipſo corporaliter exi-
ſtat, id nondum probatum eſt ex eo quod nos viua-
mus. Reſtat igitur vt ex altera ſimilitudinis parte, in
qua nos dicimur manducare Chriſtum, probetur 9.
quod Chriſtus verbum Dei in ſeipſo habet. Nam
hæc propoſitio nondum probata eſt ex iſta ſimilitu-

dine quæ à Baſilio vrgetur. Hæc verba *qui manducat*
10. *me*, nunquam oſtenderint Chriſtum habere verbum
Dei in ſeipſo, hoc eſt in carne ſua, niſi intelligantur
quod ita manducemus Chriſtum, vt eum etiam habeamus in nobis ipſis, hoc eſt, in corpore noſtro, ac
vno tantùm in ſpiritu. Etenim ſi Chriſtum per fidẽ
11. tantùm manducare intelligamur, ex ijs verbis nihil
aliud infertur, quàm quòd Chriſtus verbum Dei in
ſeipſo per fidem aut ſpiritum, hoc eſt, non in ipſa
Dei ſubſtantia, habet: qui ſenſus longiſsimè abeſt à
D. Baſilij propoſito, vult enim oſtendere ex noſtra
manducatione, quod Chriſtus habet verbum Dei in
ſeipſo, & ita quod viuat quidem in carne propter
patrem, ſed ita viuat vt cauſa vitæ (quæ eſt verbum
Dei Deus ipſe) in ipſa carne habitet, id quod probat
quia nos manducantes Chriſtum, viuimus propter
12. ipſum. Non poteſt autem fieri vt per mãducationem
habeamus Chriſtum in corpore noſtro, atque ita vt
vitam ex ipſo ſubſtantialiter præſente hauriamus,
niſi Sacramẽtum corporis Chriſti dignè ſumamus.
Hoc quippe ſolo modo Chriſtus in nobis ſecundum corporis modum habitat. Quod ita ſi eſt, iam
euidentiſsimè conuincitur D. Baſilium hæc verba
Chriſti, *qui manducat me*, de ſacramentali manducatione interpretari: nam alioqui nihil eorum concluderet quæ propoſuit. Ob has cauſas poſtquam Ba-
13. ſilius dixiſſet Chriſtum viuere verbũ Dei in ſeipſo
habentem: idque ſciri ex eo quod infertur, ac mox
intuliſſet, *qui manducat me, & ipſe viuet propter me*,
ſubiecit continuò: *edimus enim ipſius carnem & bibimus ipſius ſanguinem*: vt per illa verba oſtenderet nos
manducare Chriſtum. Iam verò quòd etiam viua-
14. mus propter Chriſtum, explicat his verbis: *participes euadentes verbi ac ſapientiæ per incarnationem & ſenſibilem vitam*. Nam viuere propter Chriſtum eſt
parti-

participē fieri immortalitatis quæ ab illo in nos deriuatur per incarnationem ipſius & vitam ſenſibilem, hoc eſt, eam quam inter homines viſibiliter & ſenſibiliter degebat. Denique tota Baſilij ſententia hæc eſt: Chriſtus viuit propter patrem in eo quod 15.
homo eſt, quatenus eam naturam ſpectamus, quæ vitam in ſeipſam recipit. Sed tamen humana Chriſti natura vitam in ſeipſam recipit, non velut à patre longè poſito, ſed velut ab eſſentiali eius verbo præſente & viuificante ipſam naturam humanam: idque Chriſtus intellexiſſe cognoſcitur, quia ſubijcit, qui manducat me, hoc eſt, qui meam carnem in ſe recipit, viuet propter me. Nam vt is qui carnem Chriſti in Euchariſtia dignè recipit, habet id in ſeipſo propter quod viuit, ſic etiam humana Chriſti natura viuens propter patrem, ipſum patris verbum & naturam (vnde viuit) in ſeipſo habet. Quod cùm ita ſit, vbi legimus in Baſilio (*edimus Chriſti carnem, participes euadentes verbi, &c.* Non debemus aut hæc duo pro eodem habere, aut participationem comeſtioni vel præponere, vel parem facere, tanquam Baſilius dicere voluerit, quicunque fit particeps Chriſti, is edit Chriſti carnem: (quod tamen dixiſſet, ſi de ſpiritali tantùm comeſtione loqueretur, in qua idem eſt edere & participem fieri) ſed nunc id potius dicit, eum qui edit carnē Chriſti, victurum propter Chriſtum, ſeu participem futurum vitæ, quæ eſt in verbo Dei. Nam hoc intereſt inter ſpiritalem tantùm manducationē, & eam quæ tum ſpiritalis tum ſacramētalis eſt, quod illa & participando mãducat, & manducando participat: ita vt vel vnum eorum nunquam præcedat alterum, ſed ambo idem ſignificēt, vel certè ſi quando differunt, participatio manducationem præcedat. Nam qui primùm ad fidem vocatur, is quidem participat donum fidei, quia do-

num Dei per gratiam Chriſti recipit. Sed in ea receptione prima non vtique adhuc manducat. Eſt enim manducatio actio viuentis. Cùm igitur quis primùm inchoat ſpiritalem viam, in eo certè momento nondum manducat. Itaque in ſpiritali manducatione vel participatio & manducatio idem omninò ſunt, vel ſi fortè differunt, participatio præcedit mãducationem. In ſacramentali verò & ſpiritali manducatione ipſa mãducatio ſemper præcedit nouam illam vitæ participationem, quæ per Sacramentum augetur, quia ſacramentum eſt cauſa inſtrumẽtalis, ob quam à Chriſto illo modo viuificemur. Cũ ergo & Chriſtus, & poſt Chriſtum Baſilius de illa manducatione carnis Chriſti loquatur, in qua mãducatio participationem, vt cauſa ſuum effectum præcedit: neceſſariò vterque de ſacramentali & ſimul ſpiritali manducatione agit, quia illic tantùm manducatio præcedit participationem. Nam & Chriſtus non prius vixit propter patrem in carne, quàm carnem haberet, ſic neque nos viuimus propter Chriſtum (velut carnem eius comedentes) antequam verè comederimus carnem Chriſti. Hactenus de ijs Ba-
17. ſilij verbis: edimus carnem Chriſti, participes euadentes verbi & ſapientiæ. Sequitur apud eum, quod participes verbi euadamus, per incarnationem & ſenſibilem vitã Chriſti, quod in eo ſenſu dicit, quaſi per ſolam incarnationem & ſenſibilem Chriſti vitam euadamus participes verbi, (alioqui nulla prorſus manducatio nec fidei nec ſacramentalis relinquetur) ſed quòd abſque incarnatione verbi caro nulla fuiſſet, quam comederemus. Porrò abſque ſenſibili eius vita, nec paſsio nec ſacramentorum vlla fuiſſet inſtitutio: vt ita incarnationis & ſenſibilis vitæ mẽtio ſit facta, propterea quod illa erant ad hoc neceſſaria, vt Sacr. carnis dom. traderetur, in quo partici-

pes verbi euaderemus. Veniamus nunc ad arcē totius cauſæ. Carne (inquit Baſil.) & ſanguine doctrinā ſuā ac totū myſticum aduentum nominauit. Hinc argu- 18.
mentantur. Si Chriſtus per carnem, & ſanguinem doctrinam ſuam cæleſtem ac totum ſuū myſticum aduentum intellexit, cùm dixit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet.* Hoc vtique intellexit, qui credit doctrinæ meæ, & totum meum myſticum aduentum ſuauiter in animo recondit, in me manet. Porrò totus non manducatur, niſi quoties credimus in eum natum, prædicantem, crucifixum, & ſedentem à dextris Dei. Ergò (inquiunt) de illa manducatione agit quæ fit per fidem. Quaſi verò ego id negem: Illa enim māducatio quæ fit per Sacramentum, ſemper quidem ex inſtitutione Chriſti per fidem etiam fit, quia nullo alio propoſito Chriſtus inſtituerat ſacramenta ſua, quàm vt à fidelibus dignè celebrarentur. Quapropter cùm fides vna cum ſacramentali manducatione concurrat, non rectè ex eo quod manducatio per fidem ponitur, manducatio ſacramentalis excluditur. Deinde illud eſt diligenter animaduertendum, quo pacto verba doctiſsimi huius viri cohæreant: nam cùm dixiſſet, primò, *Chriſtum viuere in carne propter patrem:* Deinde, *quia verbum Dei habet in ſeipſo*, idque probet, quia nos edentes carnem Chriſti (quam habemus quoque in nobis,) participes euadimus verbi & ſapientiæ: addidiſſet autem hanc participationem euenire per incarnationem & ſenſibilem Chriſti vitam, (quia niſi incarnatus eſſet, carnem, quæ cōmedi poſſet, non haberet.) Nunc demum plenius declarat quomodo participes euadimus verbi per carnem & & ſanguinem Chriſti: nec enim hoc ſolùm Chriſtus ſignificat per nomen carnis & ſanguinis, toties repetitum (vt caro ſua velut corporeus quidam ci-

 bus

bus ore tantùm,(animalis vitæ nutriendæ cauſa) ca piatur(abſit,)Sed nominando carnẽ & ſanguinem, intellexit per Euchariſtiæ Sacramentum ſimul omnia à nobis eſſe manducanda, hoc eſt, participanda, quæ vel fecit in carne vel docuit. Itaq; is dignè manducat Chriſti carnẽ,qui & omnia quæ geſsit, & omnia quę prædicauit(quantũ in ipſo eſt)ſuauiter cogitãs ac reuoluẽs& opere imitans,in ea fide ac pietate Euch.ſumit. Per illã enim doctrinã Chriſti nutritur anima, & aliâs quidem, & tum etiam aptiſsimè,cùm ad Sacramentum cœnæ Domini accedimus. Itaque cùm Baſilius docet in carnis ac ſanguinis nomine, tum facta tum verba Chriſti comprehendi, nõ quidem remouet Sacramenti intelligẽtiam,quam prius neceſſariò poſuit, ſed vſum rectè celebrandi Sacramenti prudentiſsimè adiunxit. Nam & alibi cùm

De bap. lib.c.3.

cœnæ Domini hiſtoriam percurriſſet, ac à ſeipſo quæſiuiſſet,quid prodeſſent verba hæc?ſubiecit, *vt edentes & bibentes ſemper memores ſimus eius,qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit*. Vt igitur illic de cœna expreſsè agens non dubitauit in illa memoriam eorum quæ Chriſtus vel geſsit vel docuit, exigere: ſic quis miretur ſi carnem Domini & ſanguinem apud Ioannem interpretatus eſt vitam Chriſti & doctrinam? Quid multis? Tu qui negas de Sacramentali manducatione apud Ioannem agi, vis hoc teſtatum facere ex Baſilio? At ille nullum eiuſmodi verbum habet, nec vſquam negat de Sacramento ſermonem haberi: vis autem vt de ſpiritali tantùm mãducatione Chriſti verba exponat: cũ ille adeo id non dicat, vt niſi contrarium intellexerit, idipſum quod affirmauit,minimè concluſiſſe videatur? Ac nimirum ſi tantùm poſtrema hæc verba legeremus apud Baſilium(*carnem & ſanguinem totum ſuum myſticum aduentum nominauit*. Videri quidem poterat fauiſſe

ad-

adverſarijs, quāquam nec id ſatis certò ſciretur, ſed cùm prætereà dixerit Chriſtū *vivere propter patrem, quia verbum Dei in ſeipſo habet*, idq́ue probauerit, *quia nos edentes carnem Chriſti, participes verbi euadimus*. Iſta ratiocinatio nihil concludit niſi ponatur carnem Chriſti quam edimus, reipſa in nobis eſſe, vt ita nos viuamus propter Chriſtū corporali ſua ſubſtātia in nobis præſentem, ſicuti Chriſtus viuit propter verbum Dei corporaliter in carne eius habitans. Porrò talis præſentia carnis Chriſti non eſt in nobis niſi per Sacramentum Euchariſtiæ. Poſtremò vt certò 20.
ſcias Baſilium non negare Chriſtum de Euchariſtia apud Ioannem lóqui, perpende quod cum dedita opera de Sacramentis tractaret, poſt doctrinam baptiſmatis explicatam. *Neceſſe*(inquit)*eſt deinceps nutriri nos alimento vitæ æternæ, quod ipſum rurſus idem vnigenitus Dei viui filius nobis tradidit nūc quidē dicens: non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei:* & quomodo hoc fiat, docuit, vbi dixit: *meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris qui miſit me.* Et rurſum bis expreſſa voce, *Amen*, ad confirmationem eorum quæ infert, ac certitudinem audientium dicit: *Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis*. Et conſequenter cùm permulta ex capite ſexto recitaſſet, ſubiungit: & ad finem Euangeliorum ſcriptum eſt. *Accepit igitur Ieſus panem, &c.* Quod ſi cùm hiſtoria cœnæ ſextum caput Ioannis non minus coniunxit quàm illa quæ ſunt etiam in epiſtola Pauli ad Corinthios: profectò apertè declarauit omnia illa propriè ac germanè ad Euchariſtiæ Sacramentum referri; atque hæc de Baſilio dicta ſunt.

De bapt. lib. 1. c. 3.

Matth. 4.

Ioan. 6.

Matt. 26.

CERTISSIMVM ESSE, quod Auguſtinus nunquam dubitarit Chriſtum de ſacramentali manducatione (illa tamen quæ ſimul ſpiritalis foret) apud Ioannem locutum fuiſſe.

CAP. XIIII.

NEſcio quid in mentem illis venerit, qui S. Auſtinum hac mente fuiſſe dixerunt, vt de ſpiritali tantùm manducatione apud Ioannem tractari aſſeueraret, quod nuſquam eum facere inde conſtabit, quia in contrariam ſententiam vbique diſcedit. *Ioannes* (inquit Auguſtinus) *de corpore & ſanguine Domini hoc loco* (id eſt, cùm ad cœnæ hiſtoriam ventum eſſet) *nihil dixit, ſed planè alibi multo vberius hinc Dominum locutum eſſe teſtatur.* Si vberius quàm in cœna Dominus de corpore & ſanguine ſuo locutus eſt: nec id alibi quàm Capharnai feciſſe doceri poteſt, ſecundum Auguſtini doctrinā Sextum caput Ioannis propriè pertinet ad cœnam. Item alibi: *cùm Dominus dicat, (niſi manducaueritis car. &c. Quid ſibi vult quod à ſanguine ſacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, ſi illis ſacrificijs vnum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera ſit remiſsio peccatorum, à cuius tamen ſacrificij ſanguine in alimentum ſumendo: non ſolùm nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volūt habere vitam?* Quin Auguſtinus de ſacramētali ſanguinis potatione hoc dixerit, nemo dubitare debet, qui perpendit eū conferre noſtram ſanguinis potationem cum veterum factis, qui vt prohibebantur reipſa potare aut edere ſanguinem: ſic per fidem & edere carnem Chriſti,

De conſ. euang. lib. 3. c. 1.
Ioan. 13.
Ioan. 6.
Hinc. i. de hac re.
Super Leuit. c. 57.
Ioan. 6.

ſti, & ſanguinem eius bibere neceſſariò debebant. Non igitur de pótatione per fidem tantùm agitur, (quia ſic etiam veteres prophetæ potarunt ſanguinem Chriſti)ſed de illa reali potatione quæ veteribus prohibita, nobis autem præcepta eſt. In libris de ciuitate Dei legimus, *panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſæculi vita: ipſum eſt ſacrificium non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech: qui legit, intelligat.* Porrò ipſemet Auguſtinus expreſsè tradit *quod Melchiſedech prolato Sacramento menſæ dominicæ, nouit æternum eius ſacerdotium figurare: ex quo illa verba (& panis quem ego dabo)* ad menſam Domini pertinent. Contra Creſconium Grammaticum, docet etiam bona poſſe obeſſe malè vtentibus. *Quid de ipſo corpore & ſanguine Do. vnico ſacrificio pro ſalute noſtra? quamuis ipſe Dom. dicat, (niſi quis mãducauerit carnem, &c.) Nónne Apoſt. docet etiam hoc perniciosum malè vtentibus fieri? Ait enim: quicunque manducauerit panem & biberit calicem indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Profectò ſi de ſpiritali tantùm manducatione, aut tantùm de vnitate per Euchariſtiam ſignata, apud Ioannem ageretur: *nemo poſſet illa malè vti.* Nunc autem cùm dicat hoc ipſum corpus, de quo Dominus apud Ioannem loquitur, perniciosum malè vtentibus fieri: quid tandem hoc eſt, vt negetur Auguſtinus illa verba quæ ſunt in ſexto Iannis, de Euchariſtia propriè intelligere? Dominum audiamus (inquit) nõ quidem hoc de Sacramento lauacri dicentem, *ſed de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ*, quò nemo ritè niſi baptizatus accedit, *niſi manducaueritis carnem*: Ecce iſta verba (niſi manducaueritis) adeo peculiari quadam ratione de Euchariſtia dicuntur, vt præ illa negentur de baptiſmo dici. Potúitne aliquid manifeſtius à quoquam proferri? At enim aiunt hoc non de ipſo menſæ

Lib.17. cap.5.

In ep.95.

Lib.1. cap.25.

Ioan. 6.

1.Cor.11.

De peccat. meritis lib. 1, cap.20.

ſæ Domini Sacramento, ſed de re per Euchariſtiam ſignata, hoc eſt, de Eccleſiæ vnitate dictum eſſe. *Nemo igitur ad Eccleſiæ vnitatem ritè niſi baptizatus accedit.* De illo enim Sacramento menſæ dominicæ Auguſtinus loquitur, quod nunquam ritè adminiſtratur niſi baptizatis. At res ſignata (quæ eſt vnitas myſtici corporis) & per viuam fidem cum voto baptiſmi, & per martyrium ijs confertur, quos Deus tanto honore dignatus fuerit, quanquam adhuc baptizati non ſint. Deinde illa myſtica vnitas quæ dicitur non per baptiſmum, ſed per Euchariſtiam deſignari, propriè ab Euchariſtia pendere intelligitur. Poſito igitur quod Dominus de re per Euchariſtiã propriè ſignata loquitur, etiam neceſſariò ponitur quod de ipſa loquitur Euchariſtia. Quælibet enim res cùm propria ſua nota neceſſariò cohæret. Alioqui ea nota illius rei propria non eſſet. Vt autem tota Auguſt. ratiocinatio melius ab imperitis intelligatur: Sciendum eſt Pelagianos impiè dixiſſe infantes non baptizatos poſſe vitam æternam habere: etiamſi faterentur eos regnum cælorum ingredi non poſſe. Videntes enim ſcriptum eſſe, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, propter eius ſcripturæ authoritatem, concedebant abſque baptiſmo ad regnum Dei perueniri non poſſe. Verùm nihilominus putabant infantes vitam æternam alicubi extra regnum adipiſci poſſe. Stultè igitur putabant, aliud eſſe regnum Dei & aliud vitam æternam. Sed tamen cùm pertinaciter ſic putarent, nec vellent Eccleſiæ fidem habere: ſed inſtar hæreticorum huius temporis ſemper quærerẽt vbi ſcriptum eſſet quod infantes ſine baptiſmo vitam habere non poſſent: coacti ſunt Eccleſiæ paſtores ad aliud argumentum confugere. Cùm igitur tota Eccleſia perturbaretur hac hæreſi, iamq́ue (vt Au-

guſtinus teſtatur) *miſiſſent de hac re ex duobus Concilijs Carthaginenſi & Mileuitano relationes ad apoſtolicam ſedem.* Innocentius primus qui tunc erat Pontifex Romanus in hæc verba Epiſcopis Numidiæ reſcripſit. Illud verò quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt. Niſi enim manducauerint carnem filij hominis & biberint eius ſanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis. Qui autem hanc eis ſine regeneratione defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cùm prædicant hos habere, quod in eos credimus non niſi baptiſmate conferendum: huc vſque Innocentius. Iam verò Auguſtinus hanc Innocentij definitionem & ſententiam ſæpiſsimè contra Pelagianos vrget, poſtulatque vt cedant ſedi Apoſtolicę, vel potius ipſi magiſtro & Domino Apoſtolorum, qui dicit non habituros vitam in ſemetipſis niſi mãducauerint carnem filij hominis & biberint ſanguinem, quod (inquit Auguſtinus) niſi baptizati non vtique poſſunt. Nec iſta ſic intelligenda ſunt velut paruulis Euchariſtiam miniſtrari voluerint, quam neceſſariam illis non eſſe Auguſtinus apertiſsimè teſtatur in ſermone ad infantes, vt ſuo poſtea loco docebitur. Quid ergo eſt? Vtique Innocentius, Auguſtinus, Euſebius, Emiſſenus: atque adeo Eccleſia Catholica quæ tunc vixerat: ita cum Pelagianis ratiocinata eſt. Hæc verba (niſi mãducaueritis carnem filij hominis) dicuntur proprijſsimè de Euchariſtia, 1.
quod nec Pelagiani poterant negare. Eadem verba comminantur eos non habituros vitam, qui Euchariſtiam non participant: & hoc Pelagiani concedebant. Euchariſtiam ſoli baptizati rectè ac iure participant, quod ipſum conſtabat omnibus ex vſu & 3.
moribus Eccleſiæ: Soli igitur baptizati poſſunt habere

Ep.106.

Ad Bonifac. cōtra duas ep. Pelag. lib. 2. c. 4

bere vitam. Aduerte autem quod non quæritur an omnes baptizati mox Euchariſtiam reipſa percepe-rint nec ne: Conſtat quidem adultos eam recipere ſolitos eſſe. Paruuli autem alicubi etiam Euchari-ſtiam ſumebant, ſed id nunquam fuit lege aliqua v-niuerſali præſcriptum aut receptum. Omiſſa igitur illa quæſtione quæ facti potius eſt quàm iuris, id tan tùm perpendo quod patres docent, nullum poſſe Euchariſtiam ritè ſumere niſi prius fuerit baptiza-tus. Qui verò non poteſt eam ſuo aliquo iure ſume-re, non poteſt habere vitam: quia niſi manducanti-bus carnem filij hominis & bibentibus eius ſangui-nem, vita non præſtatur: quemadmodum Dominus ipſe dixit. Cùm ergo paruuli baptizantur, ſuo modo manducant carnem Chriſti & ſanguinem bibunt, quia in illam ſocietatem cooptantur, in qua ſocie-tate ipſa caro filij hominis reipſa comeditur, & ſan-guis bibitur ob æternæ vitæ præmia. Cæterum ſi nõ baptizentur infantes: nullo prorſus modo ſumunt Euchariſtiam: non fide, quia credere adhuc per æta-tatem non poſſunt: non Sacramento, quia nullum eſt Sacramentum in Eccleſia, quod baptiſmum præ-cedat. Cùm igitur Pelagiani ſine baptiſmo velint infantes habere vitam, volunt eos id habere quod nemini datur qui non ſit particeps Euchariſtiæ iure communicationis vel propriæ vel ſaltem alienæ. Huius totius ratiocinationis fundamentũ eſt, quod hæc verba (niſi manducaueritis) dicuntur maximè propriè & principaliter de Euchariſtia: Quod fun-damentum ſi aufertur (vt aufertur ab ijs cõtra quos nunc agimus) vana eſt omnium Pontificum & ſan-ctorum concluſio. Quæ res, vt manifeſtò appareat, ponamus ita rem proponi. Dominus de myſtica
1. Eccleſiæ vnitate & communione dixit, niſi mandu-
2. caueritis carnem, &c. Idem aſſerit eos non habe-
re

re vitam qui non incorporantur Eccleſiæ ſuæ. Sed ad iſtam vnitatem Eccleſiæ nemo ritè niſi baptizatus accedit: ergo baptiſmus eſt neceſſarius infantibus vt vitam habent in ſe. Hic tertia propoſitio non erit opinor vera. Aliquis enim ritè accedit ad myſticam Eccleſiæ Chriſti participationem & ſocietatem abſque baptiſmo. Ac vt nihil inde dicam de ijs qui olim ad illam vnitatē acceſſerunt ante baptiſmum adhuc inſtitutum etiam poſt Chriſti aduentum omnes, qui pro Chriſto moriebantur, antequam adhuc poterant baptizari vnitatis Eccleſiæ participes erāt. Tum autem omnes qui perfecta fide præditi vehementer deſiderabant baptiſmum & alia Sacramenta Eccleſiæ: etiamſi nondum occaſio tuliſſet vt ea perciperent, interim tamen eiuſdem vnitatis participes erant. Poſtremò quicunque iam adultus ad fidem vocatur, incipit vnitatem Eccleſiæ participare ante baptiſmum: licèt perfectè non vniatur antequam baptizetur. Atque hæc ſanè eſt Auguſtini fides & doctrina: vnde ad Simplicianū ſcribit: Incipit homo percipere gratiā, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed intereſt quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum gratia plenior & euidentior infundatur. Non enim Catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebat Deo, cùm eleemoſynis & orationibus dignum ſe probaret, cui Angelus mitteretur: ſed nullo modo iſta operaretur, niſi antè crediſſet. Nullo modo autem crediſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur: Sed in quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum regnum cælorum, ſicut in Catechumenis, ſicut in Cornelio antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Eccle-

Queſt.2. tom.4.

ſiæ

ſiæ. In quibuſdam verò tanta eſt, vt iã corpori Chriſti & ſancto Dei templo deputentur. Templum enim Dei ſanctum eſt, inquit Apoſtolus, quod eſtis vos. Et ipſe Dominus, niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei, conceptionibus ſimiles, non tamen ſolùm concipi, ſed etiam naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternã. Nihil horũ tamen ſine gratia miſericordiæ Dei, quia & opera ſiqua ſunt bona conſequuntur, vt dictum eſt, illam gratiam non præcedunt. Et alibi: Nonnulli & ante perceptum baptiſmi Sacramentũ, cognouerũt voluntatem Dei. Nã & Cor. Cent. voluntatẽ Dei, vtiq; Apoſt. Petro docẽte, *cognouit & ipſũ ſpiriũ S. manifeſtiſsimis coatteſtãtibus ſignis, antequã baptizaretur, accepit: quanquam non ideo Sacr. illa contempſerit, ſed multò certior baptizatus ſit, vt etiam ipſa ſacroſancta ſignacula, quorum res in eo præceſſerat, ad perficiendam ſcientiam veritatis, percipere nullo modo moraretur.* Hinc apparet Auguſtinum ſenſiſſe, quod res Sacramentorum, (id eſt vnitas & ſocietas Eccleſiæ Chriſti) præcedit interdum ipſa ſignacula & Sacramenta: quanquam neceſſe ſit poſtea etiam eadem ſignacula ſuſcipere. Iam verò talis hactenus fuit Auguſtini ratiocinatio de ijs Domini verbis (*niſi manducaueritis carnem filij hominis,*) vt dixerit non modò infantes, ſed prorſus neminem poſſe ad illam manducationem ritè accedere, niſi fuerit baptizatus. Dicit enim, manducare carnem filij hominis & bibere ſanguinem eius, *niſi baptizati vtique non poſſunt.* Et iterum: Dominus dixit verbum hoc, (*niſi mãducaueritis,*) non de Sacramento lauacri, ſed de Sacramento ſanctæ menſæ ſuæ, *quò nemo ritè niſi baptizatus accedit.* Ac ne de ſolis infantibus loqui putetur, alibi quoque ait: *Si dixerimis Catechumeno, credis in Chriſto?*

In lib. expoſit. inchoatę

Act. 10.

reſpon-

304

reſpondet, credo : & ſignat ſe cruce Chriſti: Interrogemus eum, manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis, neſcit quid dicimus, quia Ieſus non ſe credidit ei. Ecce quàm perſpicuè diſtinguit credendi actum à manducatione carnis filij hominis. Credunt & Catechumeni, & ſuo modo manducant, ſed non manducant carnem filij hominis, de qua Chriſtus apud Ioannem agit: quia ſoli baptizati ſic manducant. Dices fortè quod non iam de illa manducatione carnis loquebatur, quæ apud Ioannem exprimitur. Audi ergo cætera quæ apud Auguſtinum eodem in loco ſequuntur: Qui renati ſunt, credit ſe illis Ieſus, & nō nocte veniūt ad Ieſum, ſicut Nicodemus, non in tenebris quærūt diem. Tales enim iam etiam profitentur. Acceſsit ad illos Ieſus, facit in illis ſalutem, quia ipſe dixit: *niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam.* Et quod ſignum crucis habent in fronte Catechumeni, iam de domo magna ſunt, ſed fiant ex ſeruis filij. Non enim iam nihil ſunt, quia iam ad domum magnam pertinent. Quando autem manna manducauit populus Iſraël? cùm tranſiſſet mare rubrum. (Et pòſt:) Et omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Per baptiſmum ſuum traiecit credentes Ieſus: quò traiecit, ad manna. Quod eſt manna: *Ego ſum* (inquit) *panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Manna accipiunt fideles, iam traiecti per mare rubrum. Quò ergo perducit credentes & baptizatos? ad manna: ecce dico manna. Notum eſt quid Iudeis pluiſſet Deus de cælo, & neſciūt Catechumeni quid accipiunt Chriſtiani? Tranſeant per mare rubrum, manducent manna, vt quomodo crediderunt in nomine Ieſu, ſic ſeipſis credat Ieſus: hæc Auguſtinus. Miror profectò ſi quis neget eum propriè de Euchariſtia in his verbis egiſſe, cùm de illo Sacramento loquatur,

In Ioan. tract. 11.

Ioan. 6.

quatur, quod & ſolis baptizatis dabatur, & quod figuram mannæ impleret, & quod Chriſtiani ſic accipiebant, vt Catechumini hoc neſcirent. Si nihil hoc aliud eſſe poteſt præter Euchariſtiam, & tamen in eo capite, ad minimũ ter citet illa verba (*niſi manducaueritis*) vt oſtẽdat Ieſum ſe credere baptizatis, hoc eſt, ad ſuam carnem & ſanguinem eos admittere. Quid hoc eſt quod Auguſtinus adhuc negatur illa verba propriè ad Euchariſtiam referre? Accedunt ergo multi ad vnitatem Eccleſiæ ante baptiſmum reipſa ſuſceptum: ſed ad Euchariſtiam prorſus nemo niſi baptizatus accedit, adeò vt ne intueri quidem Euchariſtiam Catechumenis licuerit. De Euchariſtia igitur & non de ſola ſpiritali manducatione Auguſtinus hæc verba (*niſi manducaueritis*) interpretatur. Idem ipſum facit is Euſebius, quem ex hac vna re illis ipſis temporibus floruiſſe conſtat. Qui de ipſa Euchariſtia tractans ſic refert. Quid adhuc de illhac duplici ſpecie inquirere debeas, ipſo Domino atteſtante cognoſce. Niſi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod teſtimonium contra Pelagij blaſphemias euidentiſsimum atque validiſsimum eſt, qui aſſerere arrepta impietate præſumit, non propter vitam, ſed propter regnum cælorum, baptiſmum paruulis conferendum. *Sub his enim Dei verbis, quibus Euangel. pronunciat: non habebitis vitam in vobis, apertè intelligendum eſt, quod omnis anima munere baptiſmi vacua: non ſolùm gloria careat, ſed & vita.* Certum eſt Euſeb. adeo de Euchariſtiæ Sacramento Chriſti verba interpretari, vt etiam duplicem ſpeciem carnis & ſanguinis in illis notarit: quæ diſtinctio Euchariſtiæ propria eſt. Is tamen per hæc eadem verba neceſsitatem baptiſmi probat: ſignificans profectò tã paruulis quàm adultis vitam

per

308

per Euchariſtiam conferri, ſed adultis quidem per ſumptionem ſpiritalem in re vel in voto ſuo: paruulis autem baptizatis in voto ſolius Eccleſię. Nam participatio intima & ſocietas per Euchariſtiam ſignificata, ſolis Eccleſiæ membris inter ſe communis eſt, extra quam communionem vita non eſt. Porrò ad illam communionem adulti per fidem & baptiſmum, paruuli per ſolum baptiſmum poſſunt accedere. Sed interim communionis iſtius præcipuum & maximum proprium Sacramentum ſola Euchariſtia & eſt, & ijs verbis *(niſi manducaueritis carnem)* ita eſſe declaratur. Non dico ſolam Euchariſtiam efficere communionem myſtici corporis, verùm dico ſolam illam ſignificare excellenter communionem myſtici corporis, quod eſt Eccleſia: & ſignificat illam non niſi quatenus eſt Sacramentũ: hoc eſt, quatenus caput noſtrum Chriſtus Ieſus, cui omnes velut membra vnimur, ſub forma panis, (qui fuerat ex multis granis in vnum commolitus:) ſe nobis in cibum dat, vt omnes nos in ſe ſpiritaliter conuerſos vnum corpus eſſe declaret. Hoc inquam Sacramentum & viſibile ſignum in ijs verbis *(niſi manducaueritis:)* commendatur nobis maximè quidem propter ſignificatam rem, quæ tanquàm res & non Sacramentum eſt. Verùm ita vt vna cum re quam baptiſmus etiam efficit, ſignum quod in baptiſmo nõ eſt, commendetur: quia clamat Auguſtinus non de baptiſmo, ſed de Sacramento ſuæ menſæ Dominum dixiſſe: *niſi manducaueritis, &c.* Cæterum ſi ſola vnitas per Euchariſtiam ſignificata commendaretur: vtique etiam de baptiſmo hęc verba, *(niſi manducaueritis)* dicta eſſent: Nam baptiſmus efficit nos membra Eccleſiæ Chriſti, etiam prius tempore quàm Euchariſtia: Nunc autem cùm hæc verba *(niſi manducaueritis)* ita dicantur de Euchariſtia, vt non dicantur

de

de baptiſmo, ſine controuerſia dicuntur de Euchariſtia, ob illam rationem qua differt à baptiſmo. Differt autem non tam in effectu interiore, quam in exteriore ſigno. De ſigno igitur & viſibili Sacramento Euchariſtiæ Dominus Auguſtini iudicio dixit: (Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sed pergamus in Auguſtino: *Qui Sacramentum* (inquit) *menſæ dominicæ vitam vocant, quid aliud tenent, niſi quod dictum eſt: ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendi: & panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſæculi vita: & ſi non manducaueritis carnem, &c.* Panis igitur quem ego dabo pro ſæculi vita, pertinet ad menſæ dominicæ Sacramentum. In pſalmos autem ſcribens: *Quando* (inquit) *loquebatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus de corpore ſuo, ait, niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam æternam. Caro enim mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè potus eſt. (Et poſt,) Iudæi dixerunt: Quomodo poteſt hic nobis dare manducare carnem ſuam? Ille autem Sacramenta prædicabat, ac deinde quanam intelligat Sacramenta explicans. Ferebatur* (inquit) *Chriſtus in manibus ſuis, quando commēdans ipſum corpus ſuum, ait: hoc eſt corpus meum,* & adhuc dubitatur, an Auguſtinus ſextum caput Ioannis de Euchariſtia propriè interpretetur? *Suſcepit Chriſtus de terra terram, de carne Mariæ carnem: & quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutē dedit, &c.* Ipſe Dominus dixit, cùm de commendatione eiuſdem terræ loqueretur: *ſpiritus eſt qui viuificat, caro autem nihil prodeſt.* Tunc autem quando hoc Dominus commendauit, *de carne ſua locutus erat, & dixerat: (niſi quis manducauerit carnem, &c.) non ſine cauſa dicit hoc, niſi quia eſt ibi aliquod Sacramentum latens.* Dicet quiſpiam ex aduerſarijs Sacramentum intelligi

Contra Creſc. lib. 1. c. 24.

In pſal. 33. con. 1.

309

ligi,quod rem ſignatã, id eſt, vnitatem, & non quoad viſibile Sacramentum Euchariſtiæ. Audi ergo quid ſequatur *Sacramentum aliquod commendaui vobis: ſpiritaliter intellectum viuificabit vos: & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inuiſibiliter intelligi.* Quod obſecro ſacramentum carnis domini viſibiliter celebrari neceſſe eſt, preter Euchariſtiam? At fortè retractauit hæc omnia D. Auguſtinus. Nã vt alijs placet, alibi aliter docet. Equidem non memini me vel vnam literam in ipſo legiſſe aut ab alio ex Auguſtino citatam vidiſſe, quæ contra hæc quicquam faceret. Nam quod ex doctrina Chriſtiana in contrarium citatur, hæc verba (*niſi manducaueritis carnem filij hominis*) *præcipere, paſſioni domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit.* Potéſtne paſsio Domini ſuauius aut vtilius recondi in memoria, quàm dum in fide non ficta per Euchariſtiæ ſumptionem mors Domini tam facto externo quàm cogitatione noſtra annũciatur? Quaſi verò ſuauis atque vtilis memoria paſsionis repugnet Sacramẽto Euchariſtiæ: quod ideo inſtitutum eſt vt ſuauiſsimè corpus quod paſſum eſt pro nobis, & animo & corpore ſumeremus. At verò in ipſo cõmentario in ſextum caput aliter ſentit? minimè gentium. Nam & ibi ſcribens in illa verba: hic eſt panis qui de cælo deſcendit, cùm ſacramenta Iudæorum conferret cum noſtris: ait ſpiritalem eſcam vtrobique eandem eſſe, *corporalem verò alteram: quia illi manna, nos aliud manducamus*: Non autem de re ſignàta, hoc eſt, de myſtica ſocietate ſanctorum hoc dicit: Nam illa eſt ſpiritalis eſca, quam eandem & patres antè & nos nũc accipimus. Sed cùm dicit nos aliud accipere, Sacramentum cœnæ dominicæ intelligit: rurſus in verba ſtatim ſubſequentia, vt ſi quis

De doct. Chriſti lib.3.c.16

Tract.26

manducauerit ex ipſo non moriatur, adiecit: *Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti,non quod pertinet ad viſibile Sacramentum, qui manducat intus,non foris, qui manducat in corde,non qui premit dente.* Ecce quàm manifeſtè verba Domini interpretatur *de virtute Sacramenti*,hoc eſt, de illa vnitate aut ſanctitate quæ efficitur per Euchariſtiam viſibiliter acceptam. Ac ſanè Auguſtinus hoc totum caput Ioannis non de ſacramentali tantùm manducatione,ſed de illa Sacramentali exponit,quæ ſimul ſpiritalis eſt. *Quiſnàm* (inquit)*modus ſit manducandi iſtum panem, ignoratis.* Quò hæc reſpiciunt?niſi ad modum cœnæ?vbi poſt panem acceptum & benedictum dicebatur, hoc eſt corpus meum? Nam modum manducandi, qui per fidem eſt,iam ſæpe in hoc eodem capite Chriſtus dixerat,vt illum ignorare nulli poſſent. At modum cœnæ etiam fideles diſcipuli adhuc ignorarunt. In illa autem verba, *qui manducat carnem meam, in me manet, &c.* Hoc(inquit)eſt manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere,& illum manentem in ſe habere. Dices hæc non omnino conuenire Euchariſtiæ, quam multi comedunt qui tamen in Chriſto non manent, nec illum in ſe manentem habet. Perinde quaſi non centies admonuerim Chriſtum et hic, & alibi ſemper dignam ſolummodo manducationem & promittere & proponere.Nam quæ indigna eſt, à nobis perfecta eſt, non à Chriſto inſtituta. Noſtra hæc eſt turpis & adulterina corruptela,non illius ſancta traditio. Quis igitur miretur,ſi Chriſtus ad ſuũ opus bonũ ac non ad noſtra peccata intuens,dicat illum qui manducat carnem ſuam,quam non niſi ad ſalutem dat, & manere in ipſo,& ipſum in ſe manentem habere? Nam qui manducat indignè, ſuum potius peccatum auget,quàm carnem Chriſti ad eum ſpiritalem effectum

ctum manducat, quem Chriſtus præſcripſit. Quid
quærimus? an non hoc ipſum ibidem expreſsit Au-
guſtinus? *Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo*
non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritali-
ter carnem eius. Ecce non manducat carnem eius ſpi-
ritaliter: manducat tamen eam ipſam carnem de qua
Chriſtus apud Ioannem loquitur, ſed non mandu-
cat ad eum finem ad quem debuit: *nec ſpiritaliter bi-*
bit eius ſanguinem, licèt carnaliter & viſibiliter premat
dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti.
Quorſum hæc de Sacraméto expreſsit Auguſtinus,
niſi quia & vidit & confeſſus eſt Chriſtum de Sa-
cramento etiam loqui, ſed bene atque vtiliter ſumen
do? Nam vt quoties legimus eum qui credit in Chri
ſtum ſaluum fore: fidem non quamlibèt, ſed eã quæ
per dilectionem operatur, intelligimus: ſic quoties
manducanti ſuam carnem vita æterna promittitur,
non cuilibet manducationi, ſed perfectæ ac ſpirita-
li promiſsio fit. Hoc nemo melius ipſo Auguſtino
expreſſerit, qui dum interpretaretur illa Domini ver De verb.
ba, *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: non v-* dom. ſer.
tique intelligimus (inquit) *eo modo credentem, quo & dæ* 11.
mones credunt, & contremiſcũt, nec in eo numero baptiza
tos, in quo Simon Mag. baptizari potuit, ſed ſaluus eſſe nõ
potuit. Sicut ergo cũ diceret: Qui crediderit & baptizatus
fuerit, ſaluus erit: non omnes credẽtes & baptizatos, ſed
quoſdã intuebatur, in ea ſ. fide conſtitutos, quæ Apoſt. di Galat. 5.
ſtinguente per dilectionem operatur. Ita cùm dixit, *qui* Mar. 3.
blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, non habet remiſsio-
nem in æternum: non omnem, ſed quendam blaſpheman-
tis in ſpiritum ſanctum intendebat reatum, quo quiſquis
fuerit obligatus, nulla vnquam remiſsione ſoluetur. Illud
etiam quod ait: qui manducat carnem meam, & bibit
ſanguinem meum, in me manet & ego in illo: quomodo 1. Cor. 11.
intellecturi ſumus? Nunquid etiam illos hic poterimus ac-

cipere, de quibus dicit Apoſtolus, quod iudicium ſibi manducent & bibant? Nũquid & Iudas magiſtri venditor & traditor impius, quãuis primũ ipſum manibus eius cõfectũ Sacramentum carnis & ſanguinis eius cum cæteris diſcipulis, ſicut apertius Lucas Euangeliſta declarat, manducaret & biberet, manſit in Chriſto, aut Chriſtus in eo? Multi denique qui vel corde ficto carnem illam manducant & ſanguinem bibunt, vel cùm manducauerint & biberint apoſtatæ fiunt, nunquid manent in Chriſto, aut Chriſtus in eis? Sed profectò eſt quidam modus manducandi illam carnem & bibendi illum ſanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Chriſto manet, & Chriſtus in eo: non ergo quocunque modo quiſque manducauerit carnem Chriſti & biberit ſanguinem Chriſti, manet in Chriſto, & in illo Chriſtus: ſed certo quodam modo, quem modum vtique videbat, quando iſta dicebat. Si vnquam quiſquam mortalium clarè animi ſui ſenſa in vlla re aperuit, id certè Auguſtinus circa ſextum caput Ioannis fecit: adeo vt ijs ipſis argumentis occurreret ac reſponderet, quæ nunc indigniſsimè ex eo citantur, tanquam contrarium ipſe docuiſſet. Hæc verba, *qui manducat meam carnem, in me manet,* de cœna interpretatur, cumque apponeretur, non omnem qui ſacramentaliter manducat carnem Chriſti in eo manere, non tamen negat de Sacramento ſermonem fieri, ſed diſtinguit modos manducandi: Significans alium dignè, alium indignè manducare, ac eo ipſo docens apud Ioannem de digna tantùm Euchariſtiæ manducatione, ſecundum literam propriiſsimè agi: & tamen qui eſt hominum error, contrarium voluiſſe à nonnullis prudentibus viris exiſtimatur, quibus ego ſaniorem in hac quidem cauſa perſuaſionem optarim. Sed quorſum ad alios Auguſtini libros confugi, vt eius de ſexto capite iudicium patefacerem? Audi quid prope finem commen-

Luc. 22.

tario-

trariorum, quæ in illud ſextum Ioannis caput ſcripſit, rem totam repetens, breuiter aſſcribat. *Hoc*(inquit)*totum quod Dom. de carne & de ſanguine ſuo locutus eſt, & quod in eius diſtributionis gratia vitam nobis promiſit æternam, & quòd hinc voluit intelligi manducatores & potatores carnis & ſanguinis ſui, vt in illo maneant, & ipſe in illis, & quod non intellexerunt qui non crediderunt, & quod ſpiritalia carnaliter ſapiendo ſcandalizati ſunt, & quod eis ſcandalizatis & pereuntibus, conſolatio Domini affuit diſcipulis, qui remanſerant, ad quos probandos interrogauit: Nunquid & vos vultis ire? vt reſponſio permanſionis eorum innoteſceret & nobis, nam & ille nouerat qui manebant: hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectiſſimi, vt carnem Chriſti & ſanguinem Chriſti non edamus tantùm in Sacramento, quod & multi mali, ſed vſque ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus: vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius ſpiritu vegetemur, & non ſcandalizemur: etiamſi multi modo nobiſcum manducant & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta: modo enim corpus Chriſti mixtum eſt tanquam area, ſed nouit Dominus qui ſunt eius.* Si hæc eſt ſumma ſexti capitis quam Auguſtinus iam explicuit, nónne in illus verbis animaduertis quòd perſpicuè ſacramentalem manducationem intra ſpiritalem includat? *Carnem*(inquit) *& ſanguinem Chriſti non edamus tantùm in Sacramento, ſed vſque ad ſpiritus participationem.* Eſt ego duplex comeſtio, ſed apud Ioannem de illa agitur, qua non tantùm editur Sacramentum, ſed etiam participatur vnitas ipſa, quæ eſt res & effectus Sacramenti. Si adhuc non acquieſcis, ſed hæc Auguſtini verba potius propriam exhortationem ad populũ eſſe, quàm velut ex Chriſti mente dici reſpondes, illa ſaltem verba accuratius perpende. *Dominus* (inquit) *de carne & de ſanguine*

In Ioan. tract. 27.

Non tantùm in Sacram.

ſuo locutus eſt, & in eius diſtributionis gratia vitam nobis promiſit æternam. Quam hic diſtributionem dici putabimus, niſi eam qua ſingulis dedit, dicens: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum? Porrò neq; hoc dixit vir prudentiſsimus, vitam nobis in ipſa diſtributione, ſed in diſtributionis gratia promiſſam eſſe. Nam diſtributio etiam malis fieri poteſt, gratia verò diſtributionis nunquam fit niſi bonis: ergo ita locutus eſt Dominus in ſexto Ioannis capite de gratia quam accipimus per manducationem carnis eius, vt tamen de ſola gratia non loqueretur, ſed de gratia diſtributionis carnis ſuæ, hoc eſt de ea gratia, quæ ex ipſo Sacramento rectè manducato promanat. Quare vt Auguſtini ſententiam breui complectamur:

1\. De conſ. euang. lib.3.c.1. Primùm docet Ioannem Euangeliſtam nihil in capite decimo tertio de cœna Domini tradidiſſe, quia vberius alibi (vtique in ſexto Ioannis capite) teſtatur Dominum de ea re locutum eſſe. Deinde nulla ferè clauſula eſt in poſteriore ſexti capitis parte, quam non alicubi docuerit ad Euchariſtiam

2\. Tract.11. in Ioan. De ciuit. Dei lib. 17.cap.5. De pec. mer.lib. 1.c.20. Contra Creſc. lib.1.c.25 In pſal. 33.& 98. Tract.26 in Ioan.

pertinere, vt facilè cõſtabit, ſiquis verba ſingula quæ iam citauimus, perpendat. Præterea docet à nobis manducari mãna, de quo apud Ioannem agitur non niſi poſt baptiſmum, quod indubitatum eſt de Euchariſtia dici. Accedit huc quod dicit verba ſexti capitis pertinere ad ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Teſtatur verba ſexti capitis ita dici de Euchariſtia, vt eodem modo non dicantur de baptiſmo. Oſtendit malè vti aliquem poſſe illo cibo qui apud Ioannem commendatur, quamuis Dominus de eo non ſic loquatur vt nos eo malè abutimur, ſed vt ille eum optimè dabit nobis. Confert verba ſexti capitis cum hiſtoria cœnæ Domini, velut res omnino eaſdem. Diſtinguit Sacramentum à virtute Sacramenti, quoad manducationem de qua fit men-

tio apud Ioannem. Negat auditores qui Capharnai erant, modum manducationis illum panem ſciuiſſe, & tamen declarauerat illis modum manducandi ſe per fidem. Scopum totius diſputationis colligens dicit Dominum de carne & ſanguine ſuo locutum eſſe, & in eius diſtributionis gratia vitam nobis promiſiſſe æternam, & tamen quam diſtributionem dicat præter ſacramentalem, non video: presertim cùm ibidem adiungat, vt carnem Chriſti & ſanguinem non edamus tantùm in Sacramento, ſed vſque ad ſpiritus participationem, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus. Cùm igitur hęc etiam ſingula ſeorſim & multò magis vniuerſa ſimul coniuncta clariſsimè probent, non ex verbis modò, verum ex rationibus & rebus ipſis, Auguſtinum ea mente fuiſſe, vt Dominum crediderit de Eucharistia in ſexto capite locutum eſſe. Admirari eos ſatis non poſſum, qui cùm diligentiſsimè verſati fuerint in Auguſtino, tamen ob neſcio quas friuolas rationes eum aliter ſentire contendunt: nihil enim quod neceſſariò in ea cauſa concluderet, hactenus attulerunt.

Ibidem.

Tract. 27 in Ioan.

DIVVM BERNARDVM non negaſſe caput ſextum Ioannis ad Euchariſtiam propriè ſpectare.

CAP. XV.

QVid eſt (inquit Bernardus) *manducare eius carnem & bibere ſanguinem, niſi communicare paſſionibus eius, & eam conuerſationem imitari quam geſſit in carne?* Ex quibus verbis concludunt, Bernardum ita de ſpiritali tantùm manducatione verba ſexti capitis

Verſ. 3. in pſal. qui habitat.

pitis intellexiſſe, vt propriè non egerit de ſacramentali manducatione. Si nihil aliud dixiſſet Bernardus præter id quod modò poſuimus, efficeretur quidem quod de ſpiritali manducutione Ioannis verba interpretatus eſſet. Sed quomodo inde cōſequeretur, de Sacr. mãducatione eadẽ verba nō debere accipi: Ergo cùm Chriſtus dedit corpus ſuum in cœna, vetuit nos illud manducare ſpiritaliter? Nam niſi manducatio ſpiritalis & ſacramentalis toto genere diſtent, nunquam valebit iſta conſecutio. Bernardus de ſpiritali manducatione verba hæc intelligit, ergo de ſacramentali eadem non intelligit. Sin & ſpiritalis & ſacramentalis coniungantur, iam de ipſa cœna licuiſſet dicere, quod cùm Chriſtus iubet nos accipere & manducare corpus ſuũ, iubet vtique communicare paſsionibus eius, & conuerſationem eius imitari quam geſsit in terris. Quanquam enim aliud præterea quoad corporale miniſterium iubeat, tamen etiam hoc ipſum in ſacramentali manducatione iubet: quia cibum magis ſpiritalem quàm carnalem, decet etiam magis à ſpiritu quàm à carne noſtra manducari: manducatur autem à ſpiritu, quando paſsionibus eius communicare geſtimus. Itaque ex hoc eodem Bernardi teſtimonio, non minus licuit affirmare Dominum in cœna de Sacramento non eſſe locutum, quàm in ſexto Ioannis; quia vtrobique iubemur communicare paſsionibus Domini: adeo vt Baſilius dicat: oportet accedentem ad corpus & ſanguinem Chriſti euidenter oſtendere memoriam eius, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, in eo quod mortificatus ſit peccato & mundo & ſibiipſi. Nunc autem Bernardus multò manifeſtiſsimè declarat ſe iudicaſſe, hæc etiam verba *(niſi manducaueritis carnem filij hominis)* ad cœnam Domini ſpectare. Etenim cùm dixiſſet pœnitentiam agere

Reſponſio.

De bapt. lib..c.3.

Ver.3. in pſal.

re viſum eſſe hominibus ſæculi verbum aſperum ſeu durum ſermonem: mox admonitus quòd Iudæi appellaſſent ſermonem de manducatione carnis Chriſti durum, voluit per eam occaſionem oſtendere, etiam in ſermone qui erat de manducatione carnis Chriſti, pœnitentiæ actionem comprehendi. *Loquebatur*)inquit) *de pœnitentia ipſa Dominus, ſed in figura tanquam ijs quibus non erat datum noſſe myſterium regni Dei.* Si hæc verba *(niſi manducaueritis carnem)* in figura & in myſterio continent pœnitentiæ prædicationem, certè aliam continent intelligentiam, non myſticã ſed literalẽ, apertã & ſimplicem. quam obſecro? Sine controuerſia illam quam verba ſignificant vt comedatur in Sacramento viſibili caro Chriſti: quod ipſum apertiſsimè poſteà Bernardus indicat, ſtatim ſubijciens: vnde & hoc, *deſignat illibatum illud altaris Sacramentum, vbi dominicum corpus accipimus*: vt ſicut videtur illa panis forma in nos intrare, ſic nouerimus per eam quam in terris habuit conuerſationem ipſum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus noſtris. Videte D. Bernardi collectionem. Manducare carnem Chriſti, (quod in ſexto Ioannis legitur) eſt eam conuerſationem imitari quam geſsit in carne. *Vnde & hoc* (inquit Bernardus) *deſignat altaris Sacramentum*? quaſi dicat manducare carnem Chriſti apud Ioannem ad Sacramentum altaris pertinet: Sacramentum verò altaris deſignat imitationem conuerſationis Chriſti in carne: & proptereà manducare carnem Chriſti, eſt imitari conuerſationem Chriſti in carne. Nam illa particula *(vnde)* ita connectit manducationem carnis Chriſti, de qua apud Ioannem agitur cum Sacramento altaris, vt manifeſtè appareat Bernardũ exiſtimaſſe non alia magis de cauſa manducare carnem Chriſti ad conuerſationis eius imitationem referri, quàm ob

Ibidem.

id quod altaris Sacrament.eodem referatur: tamen hic Bernardi locus ita explicabitur, tanquam neget in ſexto Ioannis de ſacramentali manducatione actum eſſe: Profectò vel hic ipſe locus contrariã Bernardi mentem abũdè probauerit. Idẽ alibi quoq; ait: *Quanta potes deuotione ſuſcipias panem illum qui de cælo deſcendit & dat vitam mundo, dominicum videlicet corpus Ieſu, vt veterem vtrem corporis tui noua illa reſurrectionis caro reficiat ac ſuſtineat.* Quod ſi ea verba ſatis perſpicua non ſunt, illa ſaltem quæ ſequuntur nõ video qua tergiuerſatione vitari poſſent. *Venturo Chriſto paraſtis hoſpitiũ, cõfitẽtes peccata cũ gemitu: & ecce ſuſceptum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo:* (& pòſt) *Irretiuit vos inimicus perplexus (vt ait ſcriptura) neruis teſticulorum. Si hac conſcientia Chriſti Sacramenta refugitis, nihil vobis commune cum Chriſto, non habetis vitam in vobis. Ipſum audite dicentem: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis! ſin indignè ſuſcipitis, iudicium vobis manducatis, ſanctum Domini non dijudicantes.* Conſtat ex his verbis D. Bernardum iudicaſſe non modò ſextum caput Ioannis ad Euchariſtiam ſpectare, verùmetiam tale præceptum de ſumenda Euchariſtia illic dari, vt nihil commune cum Chriſto habituri ſint, qui cogitantes ad priores nequitias reuerti, ob eam conſcientiam Chriſti Sacramenta refugiunt: nec igitur poſſunt placere Deo, qui ſine graui cauſa Euchariſtiam non ſuſcipiunt, vel qui ſuſcipientes indignè iudicium ſibi manducant. Atque hæc de Baſilij, Auguſtini, & Bernardi ſententijs dicta ſunt.

In vigil. nat. do. ſer. 1.

Ber. de reſur. Do. ſer. 1.

Iob 40.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

RESPONDETVR ARGVmētis quæ adducuntur in eum ſenſum, velut Dominus in ſexto Ioannis de Euchariſtia propriè non ſit locutus.

CAP. XVI.

ETſi iam permultis aduerſariorum argumentis, prout res ipſa tulit, ſatisfactum ſit: tamen alia quædam ſuperſunt, quibus & ipſis reſpondendum eſt, tum vt nihil eorum quæ promiſimus, omittatur: tum ex vtriuſque partis rationibus inter ſe oppoſitis, veritas Euangelij magis eluceſcat. *Non eſt veriſimile* (inquit Ruardus Tapper) *quod Chriſtus Sacramentum aliquod inſtituerit, nullam omnino vocem proferens, qua propria eius ſigna deſignaret. Cuiuſmodi ſunt in hoc Sacramento panis, calix, benedictio, fractio, & voces ſimiles.* Caietanus etiam ſcribens in Summam D. Thomæ, notat nunquam in toto illo capitulo fieri mentionem de ſpeciebus ſacramētalibus: quod ſignum eſſe ait de Sacramento Euchariſtiæ propriè non agi.

Tom.2. artic.15. pag.277

Par.3.q. 80.art.12 quæſt.1.

RESPONSIO.

In prædictionibus & promiſsionibus quæ de aliqua re fiunt, non eſt neceſſe vt modus & ſpecies rei vlla ex parte declaretur: ſed ſatis eſt vt ipſa rei ſubſtantia verbis idoneis exprimatur. Quando enim Chriſtus promiſit aduentum ſpiritus ſancti, nunquid prædixit etiam quod fieret repentè de cælo ſonus, aut quod apparerent diſpertitæ linguæ, tanquã ignis, ſederetque ſupra ſingulos eorum, aut quia hęc ſigna prius deſcripta non ſunt, ideo non egit Chriſtus de illo ſpiritus ſancti aduentu, qui per hæc ſigna

gna manifeſtatus eſt? Age propius accedamus. In hoc ipſo capite Chriſtus non ſemel dicit: *ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die*. Nunquid quia ſpeciem & modum reſuſcitãdi per vocem archangeli & ſonum tubæ non exprimit: idcirco de vera corporum reſurrectione non agit? Sin ipſam reſurrectionem credimus hic promiſſam, quamuis reſurgentium condi-
1.Cor. 15 tio & qualitas quæ alibi apud Apoſtolum inſinuatur, hic non ſit deſcripta: cur non etiam credimus illam Chriſti carnem quæ in cœna dabitur eſſe promiſſam, quamuis Sacramentorum ſpecies non exprimantur. Certè res ipſa docet tantùm in ſexto Ioannis de Euchariſtia dictum eſſe, vt inde admoniti patres, nullum alium literalem ſenſum tribuerint his verbis: (*panis quem ego dabo, caro mea eſt*) præter illum qui Euchariſtiæ Sacramentum promittat. Et tamen patres non niſi per ſigna quædam eius rei admoniti ſunt. Quid quod cùm & panes
Ioan. 6. quinque per inſigne miraculum benedicti, & turbis diſcumbentibus fracti ſeu diſtributi fuerint: atque inde occaſio ſit ſumpta de pane (qui Chriſtus & caro Chriſti eſt) loquendi, etiam eo modo aliqua Sacramenti Euchariſtiæ ſigna, quamuis obſcurè indicta ſunt? Nam D. Chryſoſtomus tractans hæc ver-
In Ioan. ba, (*& panis quem ego dabo, caro mea eſt.*) Rectè admo-
hom. 45. net *ex miraculo de quinq. panibus facto, credere turbam debuiſſe, & hæc facilia factu Chriſto eſſe.* Propterea (inquit) id prius fecit miraculũ, vt per illud non eſſent amplius increduli his quæ poſtmodũ diceret. Quod ſi multiplicatio quinq; panũ, velut præparatio quędã fuit ad ea quæ poſteà Chriſtus de carne ſua mãducanda locutus eſt, cùm in illo miraculo & *panum & gratiarum actionis, & diſtributionis* mentio facta ſit, illæ actiones cum verbis ſequentibus coniunctæ ſatis indicãt nobis, qui per fidem hæc intelligimus, quòd
iſtę

315

iſto ſermo Chriſti ad Euchariſtiæ Sacramentũ pertineat. Quamuis igitur nulla ſit neceſsitas, vt in prædictione futuri doni ſpecies ſacramentales aut alia eiuſmodi ſigna nominentur, tamẽ ſi verba & facta conferamus, videmus neque iſta prorſus omiſſa eſſe. Atque ita duplici modo ſatisfactum eſt primæ obiectioni. Abſurdum verò mihi videtur: vt, cum cœna Domini conſtat ex rebus, & præterea ex ſignis: cũmque res ipſæ multò pluris faciendæ ſint quàm ſigna: tamen ideo negetur de Euchariſtia apud Ioannem agi, quia de ſignis non agitur: & interim non attendatur quod de rebus ipſis, quæ ſunt manducatio carnis Domini, & bibitio ſanguinis eius, tam ſignificanter ibi agitur.

SECVNDA OBIECTIO QVAE eſt Caietani, part.3.quæſt.80.artic.12.q.1.

Hæc verba (*niſi manducaueritis, non habebitis vitam in vobis*,) de illa manducatione & bibitione loquuntur, ſine qua non poteſt eſſe vita ſpiritalis in nobis. Sed ſola manducatio ſpiritalis Chriſti eſt illa, ſine qua nõ poteſt eſſe vita in nobis, vt patet in paruulis baptizatis: ergo de ipſa loquitur textus Euãgelicus.

RESPONSIO.

De illa manducatione ſpiritali ſine qua non poteſt eſſe vita in nobis, Dominum loqui concedo. Id autem quod aſſumitur (*ſolam ſpiritalem Chriſti manducationem eſſe illam, ſine qua non poteſt eſſe vita in nobis*:) prorſus nego. Eſt enim quædam ſacramentalis manducatio, ſine qua non poteſt eſſe vita in nobis. Licèt enim paruuli ſine manducatione Euchariſtiæ, vel in re, vel in voto ſuo, poſsint vitam in ſe habere, quanto tempore paruuli ſunt: tamẽ in reliquis Chriſtianis vita hæc ſemper eſſe non poteſt, præterquàm

ſi

ſi ad Euchariſtiã eo quo poſſunt modo, acceſſerint. Chriſtus autem de tali manducatione loquitur in ijs verbis(*niſi manducaueritis,*) qualis requiritur non in paruulis, vt viuere incipiant, ſed in adultis, vt in vita ſpiritali maneant, & perſeuerent: quod inde pa tet, quia ſubiecit, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo*. Adulti verò non diu manent in Chriſto, niſi Euchariſtiam

De orat. Dom. accipiant. Vnde Cyprianus: *Timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, comminante ipſo & dicente: niſi manducaueritis, &c.* Chryſoſt. etiam hæc ipſa Do-

In Ioan. hom. 47. mini verba interpretans, refert *Chriſtum frequenter in myſterijs verſari, & demonſtrare omnino id fieri oportere.* (Et pòſt) *quò ſcirent omnino neceſſarium eſſe vt corpus comederent*. Conſtat verò quòd Chryſoſtomus de ſacramentali manducatione ibi agat. Denique

In Ioan. lib. 3. c. 37 Cyrillus ait: *Sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, ſi rarius in Eccleſiam proficiſcantur, & longo temporũ ſpatio ſimulatam religionem myſticè communicare Chriſto recuſent, ab æterna ſe vita procul depellere.* Medicina eſt (inquit Ambroſius) cæleſte & vene

Amb. de Sacr. lib. 5. cap. 4. rabile Sacramentum: qui vulnus habet, medicinam requirit. Quod ſi neceſſe eſt adultos, baptizatos re- ipſa Euchariſtiæ participes fieri, vt maneãt in Chriſto, & Chriſtus de tali manducatione loquebatur in ijs verbis (niſi manducaueritis) per quam in ipſo ma nere poſſet ac deberet. Non ſola ſpiritalis manducatio eſt illa, ſine qua non poteſt vita eſſe in nobis: atque ideo Chriſtus non de illa ſola, ſed preterea de ſacramentali agit, in eo videlicet caſu, in quo ſacramentalis manducatio neceſſaria eſt. Ac vt de laicis iam plura non dicam, prorſus neceſſariũ eſt, vt qui præponuntur ouibus Domini, & ipſi Sacramentum Euchariſtiæ accipiant, & alios ad illud accipien-

dum

316

dum modò inuitent, modò etiam per cenſuras Eccleſiæ cogant, ne mandatum Domini violetur, quo dictũ eſt, *hoc facite in meam commemorationem*. Nam ſi per vniuerſam Eccleſiam fieri poſſet, vt & paſtores omnes à myſterijs celebrandis, & oues Domini à myſterijs percipiẽdis abſtinerent: nihil dubitarem futurum eſſe, vt ob tam inſignem negligentiam & ingratitudinem, aut ij omnes, aut certè aliqui eorum meritò æterna vita priuandi eſſent, etiamſi nullum aliud graue ac mortale crimen commiſiſſent. Nec puto eſſe quenquam fidelium, qui hoc ſit negaturus. Si ergo neceſſe eſt, vt fideles vllo tempore in Sacramento manducent carnem Chriſti, cùm ſine illa ſacramentali manducatione manere in Chriſto non poſsint, quare non credimus etiam illam manducationem ſacramentalem hoc in capite præcipi, præſertim cùm & verba Chriſti propriè accepta, hoc ipſum neceſſariò inferant, vt ſancti patres id ita eſſe docuerint? Iam verò quoniam certò ſcio Caietanum ea mente nõ eſſe, vt velit hoc præceptũ de manducanda Chriſti carne ad ſolos paruulos in Sacramento baptiſmi ſuo modo manducantes pertinere: quæro ab illo, quænam alia manducatio præcipiatur adultis iam baptizatis in hoc capite? reſpondet, *quòd animæ adultorum debent ſuſtentari fide mortis Chriſti, velut cibo: & delectari in illa, velut potu.* At iterum quæro, vbi hoc legat? non enim debet arbitratu ſuo aliquid fingere. Iterum ergo reſpondet Dominũ dixiſſe, *carnem meam dabo pro mundi vita*: quod in morte eius factum eſt, ex quo dum poſtea dicit, *niſi manducetis carnem meam*, intelligit, niſi mortem meam per fidem & charitatem ſuauiter & ſtudiosè recolatis, non habetis vitam in vobis. Atqui nego iſta verba, *(niſi manducaueritis)* immediatè referri ad iſta (*carnem meam dabo pro mundi vi-*

Luc. 22.

Caiet. in com. in 6 c. Ioan.

ta

que conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipſe hoc, quod illud Sacramentum ſignificat, inuenit. Ecce, non alienatus ab illius panis calicisq́ue conſortio, nec Sacramenti illius participatione priuatur. Docet ergo Auguſtinus quod infantes huic obligationi, qua Euchariſtiam percipere iubemur, ſatisfaciunt: dum per baptiſmum incorporantur, & membra illius Eccleſiæ fiunt, quæ reipſa Euchariſtiam percipit. Baptiſmus ergo ſolus ideo ſufficit infantibus, quia cætera quæ ſunt neceſſaria, vt fidei confeſſio, & inuocatio nominis Domini, & dilectio Dei & proximi per eos ſupplētur, qui vt ſunt eiuſdem corporis membra, ſic poſſunt fratri ſuo ſpiritali ſua bona ſpiritalia communicare, vt participem illum faciant omnium eorum qui timent Deum & cuſtodiunt mandata eius. Eſt enim communio ſanctorum in Eccleſia Dei. Scimus ſcriptum eſſe, *qui non crediderit, condemnabitur.* Et tamen infantes non credunt, & ſalui fiunt. Cur id? quia prodeſt illis fides aliena, quibus per Sacramentum baptiſmi incorporatis omnia illa communicantur, quæ Eccleſiæ Dei ſunt. Quemadmodum igitur infantibus aliena fides, ita & aliena perceptio Euchariſtiæ prodeſt. Et quemadmodum præceptum de habenda fide generale eſt, licèt infantes per ætatem actu ipſo non poſſint credere: ſic præceptum de manducanda Euchariſtia generale eſt, licèt infantes actu aliquo ſpiritali manducare Euchariſtiā non poſſint. Quapropter ſi Caietanus hæc verba (*niſi mand. car. fil. ho.*) vult nullū actū manducandi Euc. vel in re vel in voto præcipere, idq; ne infantes qui talē actū non habēt, à vita æterna excludūtur, poterit eodē modo dicere, hæc verba, (*qui non crediderit, condemnabitur,*) nul-

Pſal. 118. Marc. 16.

Aug. ep. 23.

lum actũ fidei aut credẽdi præcipere, ne infantes qui talẽ fidei actũ nõ habẽt, condẽnandi videãtur. Vt igitur adulti credere tenẽtur actu proprio, licèt infantibus ſufficiat habitu proprio per Sacr. bapt. acquiſito, & actu alieno credere: ſic etiã hæc verba (*niſi mã duc. car. filij hom.*) adultis præcipiũt vt actu proprio Euc. ſumãt, licèt infantibus ſufficiat effectu proprio per baptiſ. acquiſito, & actu alieno Euch. percipere: nã in Sacr. baptiſ. & in habitu fidei, tũc infuſo comprehendũtur, & ſpes & charitas, & perceptio Euch. & inuocatio nominis diuini, & obſeruatio mandatorũ, & quæcunq; vel facere vel pati fidelis debuiſſet, ſi ad eã ætatẽ & gradũ perueniſſet, in quo talia præcepta cõplenda erant. Omnia enim feciſſe iudicatur, cui ius ciuitatis Dei cõceſſum eſt, & per quẽ nõ ſtetit, quò minus cętera omnia cõpleret. Quod ſi Caie. ita intelligit baptiſmũ ſolũ ſufficere, vt putet nullũ mãducationis actũ in his verbis (*niſi manducaueritis carnem filij hominis,*) adultis præcipi: malè rẽ accipit. Qui enim nõ mãducat carnẽ Chriſti quando poteſt, & eo modo quo poteſt, non habet vitã in ſe. Ac ſanè cũ Caiet. & quicunq; alij cũ eo ſentiũt, hæc verba (*niſi manducaueritis*) nõ ſolũ ad paruulos, ſed etiã ad eos qui iam adoleuerũt, referẽda eſſe fateãtur: libẽter ab illis quærerẽ, ad quos potiſsimũ ea pertinere putẽt. Nã cũ ad paruulos referũtur, non niſi effectũ ſolũ incorporationis, actũ verò nullũ præcipiunt. Nec enim paruulos iubent aut credere aut inuocare Dom. ſed tantũ ſignificant neceſſarium omnino illis eſſe vt Chriſto incorporẽtur. Rurſus quando eadem verba docentur adultis cõuenire, illis præcipiunt actum aliquem credendi & inuocãdi ex aduerſariorum confeſsione. Cùm igitur is ſit ſenſus literalis, qui principaliter à ſpiritu ſancto cogitatur, quæro quid horum principaliter & primò ſignifi-

Ioan. Heſſels de communione

cetus

ſed per medium eiuſdem carnis in cibum prius datæ. *Operamini*(ait)*cibum quem filius hominis dabit vobis:& panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita: niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Si prima cum poſtremis media non intermittentes coniungamus, idem eſt operari cibum quē Chriſtus dabit nobis, & manducare carnem eius quam ille dabit in panem manducandam. Siue igitur per fidem viuam, ſeu per Sacramentum aliquod operemur & manducemus: res operanda & manducanda eſt caro Chriſti, non qualibet ratione, *ſed caro Chriſti vt cibus:* nec id modò, *ſed caro Chriſti vt cibus nobis ab ipſo Chriſto poſthac dandus:* nec id tantùm, ſed caro Chriſti, quæ præterquàm quod nobis dabitur vt cibus, etiam dabitur pro vita mundi. Operari autem & manducare carnem Chriſti, ita poſthac in cibum dandam, vt eadem etiam danda ſit in mortem: eſt carnem Chriſti operari & manducare, non primùm velut morti deſtinatam, ſed primùm velut cibum poſthac dādum: deinde velut dandam in mortem: non quod ſeorſim cibus hic, & ſeorſim mors Chriſti manducanda ſit: ſed quod præceptum de quo nunc agitur, ad manducandum carnē Chriſti vt cibus eſt, expreſsè nos obligat: mors autem Chriſti ſimul manducatur in cibo, quia caro Chriſti iubetur māducari, prout domini mortem repræſentat: nimirum prout Sacramentum eſt, cuius celebratio & comeſtio annunciat mortem Domini. Omnes igitur fideles iubentur manducare carnem Chriſti, prout in Sacramento dabitur: ſicuti etiam omnes iubentur credere, inuocare nomen Domini, & mandata ſeruare: Quæ omnia infantes faciunt, quoad poſſunt in Sacramento baptiſmi. Adulti verò eodem partim voto, partim reipſa faciunt, vt habeant vitam æternam. Nam quod ad- 1. Cor. 11.

 ulti

tem Domini annuntiat. Tum autem oſtendi paruulos hoc præceptum implere in baptiſmo, non aliter quàm implent præceptum credendi & inuocandi nomen Domini: vt ita neque paruulis danda ſit Euchariſtia quò vitam habeant, nec tamē à conſortio huius panis & calicis excludantur, cùm per alios vt credunt, ita & manducent. Poſtremò præceptum hoc manducandi carnem Chriſti quod apud Ioānem extat: adultis principaliter ac primum; paruulis verò non niſi ex conſequenti conuenire declaraui: vt tot modis appareret illud argumentum quo potiſsimum aduerſarij confidunt, nullarum virium eſſe.

TERTIA OBIECTIO CAIETANI ex contextu euangelico.

Chriſtus inchoat ſermonem de cibo ſpiritali, (*Operamini non cibū qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.*) Deinde ad cibi ſpeciem deſcendit, ſubdens ſe eſſe panem vitæ & de cælo deſcendiſſe, manifeſtatque id ex actibus merè ſpiritalibus, qui ſunt venire ad ipſum, non eſurire nec ſitire, & credendo in ipſum vitam æternam habere. Vnde cùm totus precedens ſermo fuerit de actibus merè ſpiritalibus, de ſpiritali quoque manducatione & potatione ipſius Chriſti carnis & ſanguinis ſermo præſens ad literam eſt.

RESPONSIO.

Nego Chriſtum inchoaſſe ſermonem de cibo merè ſpiritali. Nam præterquam quod prius miraculum de quinque panibus ediderat, vt animos auditorum conciliaret, fidemque futuræ ipſius orationi acquireret: etiam hæc verba, *operamini cibum permanentem, quem filius hominis dabit vobis*, tam ex vi huius verbi (*dabo*) quod non propriè de cibo merè ſpiritali dicitur. (Spiritus enim Dei non alligatur ad

Cyril. in Ioan.lib. 3.cap.28.

certas temporum circunſtantias) quàm ex authoritate Cyrilli & Theophilacti, ad myſticam benedictionem ſeu ad Euchariſtiam referuntur. Deinde licèt actus veniendi ad Chriſtum, & non eſuriendi neque ſitiendi, itemque credendi & vitam æternam habendi, merè ſpiritales ſunt, tamen interponitur promiſsio actus non merè ſpiritalis, ſed etiam corporei, cùm dicitur, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt.* Futura enim iſta datio quæ ſignificanter tam ab initio ſermonis, quàm nunc iterum filio hominis tribuitur corporali modo, (licèt ob finē ſpiritalem) futura ſignificatur: vnde illa manducatio, quæ tali dationi reſpondet, etiam non ſine aliquo actu corporeo fiet. Hinc eſt quod cū Chriſtus antè diceretur verus panis, nunc eius caro dicitur eſſe verus cibus: cūque ad illum veniretur per donum fidei, iam in illo manetur per gratiam Euchariſtiæ: ibi vita credendo habetur, hic viuitur non ſecus propter Chriſtum, quàm Chriſtus à patre miſſus, viuit propter patrem, quibus verbis innuitur Chriſti ſubſtātia, in illo præſens eſſe, qui propter Chriſtum viuit, non ſecus ac patris ſubſtantia præſens in filio eſt, qui propter patrem viuit: ibi manducatur ex hoc pane, qui eſt Chriſtus: hic verò manducatur ipſe panis, quia totus intra nos recipitur: ibi figura mannæ oſtenditur impleri per fidem in Chriſtum: hic verò cùm eadem figura iterum impleri doceatur, nec tamen putandum ſit quod idem ipſum alia atque alia ratione iterum ob eūdem finem ſuperuacaneè repetatur: magis conſentaneum eſt, vt ſecundo in loco figura mannæ impleri cenſeatur, tam in ſpiritu quàm in Sacramento: quod etiam D. Auguſtino viſum eſt vt antea declaraui. Ibi Iudæi petunt panem de quo agebatur ſibi dari: hic litigant, negātes Chriſtum poſſe panem dare quem promittēbat: ibi murmurant & ſedan-

Aug. in Ioannē tract. 11.

cetur in his Domini verbis? Nec enim puto eos dicturos quod & effectus incorporationis ſolus abſque omni actu, & actus aliquis præter incorporationis effectum ſimul imperentur. Hæc enim repugnāt vt eadem verba & effectum ſolum, & non effectum ſolum præcipiant, etiamſi perſonæ quibus præcipitur aliæ atque aliæ exiſtāt. Ad eas enim perſonas in quibus diuerſa ratio inuenitur, eadem verba non ſimul ſed ordine quodam & commoda diſtributione porriguntur. Puto autem aduerſarios vltrò conceſſuros quod verba hæc, (*niſi manducaueritis*) primò & principaliter ad eos dirigantur, qui iam adoleuerunt: tum quia præcipiunt actum aliquem, (videlicet manducandi & bibendi, qui actus propriè non eſt in paruulis:) tum quia ij erant adulti, quibus cum Chriſtus illo tempore diſputabat: & poſtremò, quia de illa mãducatione agitur, per quã in Chriſto manetur. Quamcunque igitur interpretationem illis verbis tribuamus, illa primùm & per ſe in adultos cadet, ac non primũ in paruulos. Quod cùm ita ſit, non video cur Caietanus ad paruulos præcipuè confugiat, vt doceat hæc verba non poſſe de Sacramento Euchariſtiæ intelligi. Nam etiamſi concederemus Euchariſtiæ mãducationem hic non præcipi, tamen cùm actus manducandi carnẽ Chriſti (quomodocunque is exercebitur) præcipiatur, & paruuli actum talem non habeant: fruſtrà paruulorum ſtatus opponitur nobis & noſtræ interpretationi: cùm etiam ab illis quærendum ſit, cur illi ſic ea verba interpretentur, vt paruulos ab æterna vita excludant. Senſus enim præcipuus eſt, vt ipſi dicunt, niſi credatis in mortẽ meã & me inuocetis, non habebitis vitam in vobis: at paruuli neque actu credunt, neque inuocant. Iam ſi dicãt paruulos in baptiſmo credere & inuocare quantum opus eſt: dico eoſdem

quor, velut ſi adeſſet illud tempus quo eam in panem,(ſeu manducandam dabo) *verè eſt cibus*. Nã tempus præſens etiam futurum in ſe complectitur: pręſertim quando is cui omnia futura, velut præſentia ſunt: ita de præſenti tempore loquitur, vt prius futurum tempus ſignificantiſsimè expreſſerit. Quod autem Chriſtus circa ipſum paſcha integro anno, (ſaltem vt plerique putant) antequam corpus ſuum in cœna daret: hæc verba de carne & ſanguine ſuo loquitur, non paruum ſignum eſt, eum velut ipſo anni tempore admonitum, ea prædicere, quæ anno ſequente præſtiturus eſt in cœna ſua. Præterea caro Chriſti etiam ante cœnam ipſius dicitur cibus eſſe, quia etiamſi nondum edebatur in Sacramento: tamen ea omnia iam tunc in ſe habebat, quæ poſtea in Sacramento edenda erant. Cibus enim non tam edendi actum, quàm rei ad eſum aptæ ſubſtantiam ſignificat. Caro igitur Chriſti ſemper verè eſt cibus, quia ſemper eſt illa ſubſtantia quæ habet in ſe, vnde nos nutriat, licèt non ſemper à nobis per actum aut fidei aut Sacramenti edatur. 2. 3.

QVARTVM ARGVMENTVM.

Quartò, perabſurdum eſt obligare aliquem ad eſum Eucharistiæ anno integro, antequam ea ſit inſtituta. Verba autem illa, niſi manducaueritis, obligatoria ſunt.

RESPONSIO.

Negamus Chriſtum obligaſſe quempiã ad ipſam Euchariſtię perceptionem, niſi pro eo tẽpore quo illa inſtituenda erat. Interim tamẽ dicimus quod obligabat eos qui audiebant ipſum ad fidem & expectationem cibi eius de quo dixerat: *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*: cuius carnis dationem qui futuram non credebat, per fidem non manducabat, quia verbo dei fidẽ non habebat. Qui verò credebat Chri

ſtum

ſtũ carnẽ ſuã quandoq; daturum: licèt neque tẽpus neq; modũ ſciret: tamẽ interim fides ei fuit loco ip-
Heb. 11. ſius Euc. *Eſt enim fides rerum ſperandarum ſubſtantia*, quę in mẽte fidelis id verè ſubſiſtere atque eſſe facit, quòd in rerum natura, non niſi cùm Deus volet, exiſtet. Sic enim et agnus in fideliũ ſpe *occiſus eſt ab ori-*
Apoc. 3. *gine mundi*: & iã nunc credimus illam reſurrectionẽ mortuorum, quæ nondum eſt in reipſa, licèt iam olim fuerit in fide noſtra. Obligabantur igitur auditores ad fidem, ſed non continuò ad eſum Euchariſtiæ, donec id Sacramentum inſtitutum eſſet. Quod vt planius fiat, ſumamus exẽplum de re ſimillima, hoc eſt, de baptiſmi Sacramento. Nónne longè antequam Chriſtus diſcipulos ad baptizandum mitteret, Nicodemo generaliter dixerat: *niſi quis renatus*
Ioan. 3. *fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in*
in epiſt. 108. *regnum Dei? Poſtquam Dominus in Eccleſia ſua* (inquit Auguſtinus) *Sacramentum noui teſtamenti, pro circunciſione carnis ſanctum baptiſmum dedit, & apertiſsimè dixit: ſi quis non renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum, iam quoſcunque legimus in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, pertinere ad regnum cælorum, non niſi baptizatos intelligere debemus, niſi fortè quos anguſtia paſsionis inuenit.* Si ergo verba illa Chriſti iam omnes generaliter ad baptiſmum obligant, non ideo dicemus, Nicodemum aut alium quempiam ad perceptionem baptiſmi tunc obligatum fuiſſe, quando Chriſtus illa verba primùm protuliſſet, antequam ipſum baptiſmũ inſtituerat? Qui de hac re plenius doceri cupit, legat *epiſtolam D. Ber-*
...ſt. 77 *nardi ad magiſtrum Hugonem de ſancto Victore*, vbi ex Auguſtino & Ambroſio, imò etiam ex Euangelio, & D. Paulo, docet neminem ad Sacramentorũ perceptionem obligari, quoties ab illis percipiendis neceſsitate excluditur. Eſt autem illa neceſsitas omnium

nium

ſedantur, hic murmurant & recedunt: ibi murmurantibus opponitur ſpiritalis attractio patris ad filium, hic verò corporalis aſcenſus filij ad patrem: ibi à patre qui ſpiritus eſt, omnes actus merè ſpiritales profluunt: hic à filio hominis, qui carnem aſſumpſit, actus etiam mixti, hoc eſt, & ſpiritales & corporales imperãtur: ibi Deus operatur in hominibus, hic ipſi homines operari iubentur cibum quem filius hominis dabit. Contextus igitur Euangelij multò magis fauet nobis quàm Caietano. Quæ verò de auctoritate patrum exiliter & perparcè affert, ea parui admodum vel nullius potius momenti ſunt, & contra expreſſas ipſorum tum voces tum rationes ſuperius à me citatas, accommodantur. Poſtremò quod Caietanus vult ſuam expoſitionem velut planam & nullis quæſtionibus implicatam admitti pro literali ſenſu: reſpondeo ipſius expoſitionem maximè implicatam eſſe. Primum quia duas dationes à Chriſto pro miſſas, quarum vna ſit in cibum, altera in mortem, ille in vnam confundit. Deinde cùm fateatur hæc verba (*niſi manducaueritis*) præcipere actum credendi & amandi, non minus ab illo quærendum eſt quomodo ſolus baptiſmus ſufficit infantibus abſq; actu credendi, quàm ille à nobis quærit, quomodo ſufficit abſque actu percipiendi Euchariſtiam. Quo enim actu credunt, eodem & manducant Euchariſtiam. Denique quod ad vtramque ſpeciem attinet, definitum eſt Concilio Tridentino, quod etiamſi ſextum caput loquatur de Euchar. tamen vtriuſque ſpeciei neceſsitas inde inferri aut concludi non poteſt, de qua communione poſtea (ſi Deus volet) agemus, ibi cum hæreticis potius quàm cum Catholicis res erit.

4.

letur: cùmq́ue iſta manducatio ab illa datione pendeat, neceſſario faciendũ eſt vt potius mãducatio trahatur ad tẽpus dationis, quã datio ad tẽpus mãducationis, propterea quod datio res principalis eſt, à qua primũ cœpta eſt diſputatio, & ob cuius cõfirmationem toties poſtea manducandæ carnis mentio facta eſt. Qui aliter ſentiunt, nec manducari vt cibus caro Chriſti poteſt, niſi poſtquam in cibũ data eſt à Chriſto: habent quidem verbũ præſentis temporis quod vrgeant, nec id ceſſant vrgere: ſed nos & verbum futuri temporis vrgemus, & præterea oſtendimus illud futuri temporis verbum principaliter in hac diſputatione ſpectandum, cætera verò quæ inde oriuntur, ad illud veluti ad fontem originemq́; trahenda eſſe. Verba igitur pares cùm ſimus, nos ratione vincimus. Quod ſi nec iſta ratio, quæ ſatis alioqui grauis eſt, eos mouet, ſaltem hoc mihi concedant, quod vt illa verba quæ præſentis temporis ſunt, ad ſpiritalẽ ſolam manducationem reſtringi volunt, ita & illa quæ tantùm futuri ſunt temporis, tantùm ad futuram, id eſt, ad ſacramentalem manducationem extendantur. Ac vel iſta ratione verum erit quod nos defendimus, aliqua ſexti capitis verba propriè ad Euchariſtiam ſpectare, nam iſta ſaltem verba (*& panis quem ego dabo, caro mea eſt*) Euchariſtiam promittũt, quanquam ego non dubito etiam alia ſubſequentia propriè ad eandem Euchariſtiam ſpectare, vtpotè quæ ab illis prioribus omnino pendent.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Dominus dicit ſe carnem ſuam daturum pro ſæculi vita, & panem verum dare vitam mundo, ſcilicet toti, vt Cyrillus exponit & Auguſtinus. Igitur iſte panis & Abel & Noë & omnes priores ſanctos ſicut & poſteriores viuificauit & ſaturauit, & cibus eorum fuit. Vndè cantat Dauid, Paraſti in conſpectu Pſal. 22.
meo

meo menſam aduerſus eos qui tribulant me, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt? Et per Salo-
Pſal.22. monem iam olim clamauit Sapientia incarnanda, venite edite panem meum, & bibite vinũ quod miſcui vobis. Et per alium ſapientem dicit ſapientia ea-
Prou.9. dem: Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibũt me,
Ecc.24. adhuc ſitient. At hæc de corpore Domini prout forma panis velatum nunc ſumitur, vera non ſunt.

RESPONSIO.

Vt ſcripturæ quæ citantur ex Dauide, Salomone, & Eccleſiaſtico, nihil ad quæſtionẽ de ſexto Ioannis faciunt, ita neque hic ad eum finem citantur. Quicquid ergo illæ ſignificent, inde non poteſt inferri Dominum in ſexto Ioannis aut locutum eſſe de Euchariſtia, aut non eſſe locutum. Quod verò Dominus apud Ioannem dicit, *ſe carnem ſuam daturum pro ſæculi vita*, cùm prius dixerit, *ſe nobis daturum eſſe panem aut cibum quendam, qui eſt caro ſua*: nos priorem ac non poſteriorem dationem ad Euchariſtiam pertinere aſſerimus: licèt igitur concedamus totum hoc (videlicet hæc verba, *carnem meam dabo pro ſæculi vita*, non eſſe principaliter dicta de corpore Domini ſub forma panis velato: tamen ex eo concludi non poteſt, propriè apud Ioannem de Euchariſtia non tractari. Nam etiamſi ea verba non tractent, alia tamen tractant de Euchariſtia. Præterea ſi quia dixit Dominus ſe carnem ſuam daturum pro ſæculi vita, idcirco non agitur de Euchariſtia, nónne eodem modo argumentari poterimus in ipſa Domini cœna de Euahariſtia non eſſe actum, quia ibi etiam dicebatur: *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis*
Luc.22. *datur*? Idem quippè eſt *pro nobis dari, & pro ſæculi vita dari*. Vnde idem ipſum corpus quod in cœna datũ eſt diſcipulis, etiã pro Abel ac Noë datũ eſt in cruce: vtque poſterior illa datio quæ in cœna Domini

com-

nium maxima, cùm nondum eſt inſtitutum id Sacramentum quo de agitur. Quis enim neget eius rei neceſsitatem quæ nondum ſit inſtituta, commendari, tamen ex multis verbis ornari poſſe? Docebat Chriſtus quod interim & credi & doceri vellet, donec paulò pòſt id compleretur in rebus, quod antè in verbis tradebatur. Et quia tempus inſtituendi Sacramentum non longè aberat, tanquàm nihil interim reputauit annum illum poſt quem illa inſtitutio futura erat, præſertim cùm inter loquendum ipſam horam & actum tradendi Sacramenti ob oculos ſuos ponens de re futura non aliter diſceptauerit, ac ſi ea iam verè exiſteret. Nam & alibi de ſpiritus ſancti aduentu agens: *ego* (inquit) *mitto promiſſum patris mei in vos.* An ergo quia non dicit, mittā, Luc. 24.
ſed *mitto*, de re futura nō agit (nihilominus. Quemadmodum igitur hæc verba Chriſti, *niſi quis renatus* ἀποςέλλω.
fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, ad ſacramētum baptiſmi nos obligabant, nec tamen ſtatim obligabant, ſed pro eo tempore, in quo illud Sacramentum inſtituendum & promulgandum fuit: ſic iſta etiam verba, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: & ad Sacramentum Euchariſtiæ nos obligabant, nec tamen ſtatim, ſed pro eo tempore obligabant, quo id Sacramentum inſtituendum erat & promulgādum. Verba enim ſecundum rem ſubiectam accipienda, & non ſemper vt ſonant vrgenda ſunt.

REPLICATIO.

Ne intelligas ea verba obligare pro tempore quo inſtituta erit Euchariſtia. Subdit Dominus per verbum non futuri ſed præſentis temporis: Qui *manducat* meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: vt intelligas illud, niſi manducaueritis carnem, &c. quaſi dixiſſet: niſi edatis car-

nem

325

commemorata eſt cùm diceretur, *quod pro vobis datur*, non obſtitit quo minus prior datio, de qua ſcriptum eſt, *dedit, dicens accipite*, de Euchariſtia intelligatur: ſic neque iſta verba, *carnem meam dabo pro ſeculi vita*, quicquam officiunt, quo minus illa priora (*panis quem ego dabo, caro mea eſt,*) de Euchariſtia propriè intelligantur. Quod verò dictum eſt, *panem verum dare vitam mundo etiam toti*, concedo id non eſſe dictum propriè de Euchariſtia: ſed de filio incarnato, prout is à patre datur aut per fidem viuam, aut per fidei Sacramentum.

SEXTVM ARGVMENTVM.

Qui manducat meam carnem: & niſi manducaueritis, &c. non ſignat quod per annos aut menſes edenda ſit Domini caro, aut ſanguis bibẽdus, (quomodo ſufficit Euchariſtiam ſumere) ſed quod quotidie ſumere oportet corpus & ſanguinem Domini pro vita animæ, ſicut cibum & potũ corporale quotidie ſumimus pro vita corporis.

RESPONSIO.

Patres antiqui putauerunt etiam illa verba quæ nunc producuntur, Euchariſtiæ mãducationem deſignari, vt in ipſorum verbis iam antè citatis videre licet. Ac ſanè ſacramentalis mãducatio poteſt etiam appellari quotidiana, vt à Cypriano, Ambroſio, & alijs patribus vocatur, vel quod Euchariſtia quotidie ſumi poteſt: vel quod ex ea quotidie ſpiritu ſaltem manducatur. Quis enim in ſua perpetua & ſpiritali manducatione non libenter incluſum velit illum Euchariſtiæ manducandæ modum, quem Chriſtus non ſolùm oris, verũ longè magis fidei & charitatis cauſa inſtituit, vt cibus eſſet mentis & non ventris?

De orat. Domini. De Sacr. lib. 5. c. 4

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

Si de Sacramento ſermo eſſet, non eſſet verũ quod

K quiſ-

CAP. XVII.

PRæcipuis atque etiam omnibus (quod ſciam) Catholicorum argumentis iam reſponſum eſt. Reſtat verò adhuc quippiam, quod à Lutheranis obijci nobis ſolet, qui vſque eo nihil patrum iudicio in huius ſexti capitis interpretatione tribuunt (at enim ſi de patrum ſocietate eſſent, patribus vtiq; plus tribuerent, vt dicant eos paruulis Euchariſtiam dediſſe ob illa Chriſti verba, *niſi manducaueritis carnem filij hominis*: in qua vna re cùm errare illis antiqui patres viſi ſunt, etiam in hoc ſimul erraſſe putāt, quod omnino caput hoc ad Euchariſtię Sacramentum retulerint. Equidem liberè concedo Euchariſtiam paruulis neceſſariam non eſſe: neque tamen propterea errarunt qui ob hæc Domini verba Euchariſtiam olim paruulis dederunt. Multa enim fiunt conſultè vitandi periculi cauſa, quæ neceſſariò facienda non credebantur. Neque verò ex eo quod cautè fit, imitandi neceſsitate alijs imponitur, *cùm legibus non exemplis ſapientes iudicare ſoleant.* Satis igitur eſt quod patres vno conſenſu non docēt pueris Euchariſtiam neceſſario dandam eſſe: ex quo & illud colligitur nec eos omnes aut iudicaſſe Euchariſtiam illis dari neceſſario debuiſſe, aut ſemper & vbique eam paruulis dediſſe, alioqui vſque in hodiernum diem data illis fuiſſet, quod vtique nec iam fit, nec patrum noſtrorum memoria paſsim factum eſt. Nam quod neceſſarium olim habitum non fuit, vt paruulis daretur Euchariſtia, illa Auguſtini verba indicant, quæ apud venerabilem Bedam leguntur, *nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis ſanguiniſque dominici participem fieri, quando in baptiſmate membrum Chriſti efficitur: nec alienari ab illius* In c.10. ad cor. 1.

panis caliciſque conſortio, etiam ſi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc ſeculo in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat. Sacramēti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipſe quod illud Sacramentum ſignificat, inuenit. Quapropter ſi omnia patrum antiquorum loca ſimul contulerimus, apparebit eos ob ſecuritatem potius & cautionem, quàm ob vllam neceſsitatē, paruulis

In 6.c. Ioan. Euchariſtiam dediſſe: adeò vt Rupertus ante annos quadringentos ita ſcriptum reliquerit. *Sanè qui vel tenerrima cohibentur infantia, priuſquam ex hac luce migrant, quàm manducare aut bibere poſsint: vel qui articulo temporis conſtringuntur, ſicuti nonnulli confeſſores, quos nec baptizari aqua, perſecutionis, & mortis inſtantia permiſit, non præiudicantur hac ſententia veritatis. Nec enim iudicatur apud Deum non manducaſſe, niſi*

Quis nō manducet. *qui manducare noluit, qui non curauit, quod neglexit. De ſenſibus enim & de voluntatibus iudicat Deus, quæ in infantibus edentulis malè eſſe non poſſunt, & in eiuſmodi confeſſoribus, cùm bonæ ſint, non fraudantur effectu, quia manifeſtè Chriſti communicant paſsionibus. Proinde nec paruulos, quos ætatis impotentia manducare vetat, qui mox vt baptizati fuerint, ab hac luce migrant, æternæ vitæ exortes arbitramur, nec præuētos à perſecutione confeſſores pios, in ſanguine ſuo baptizatos, corpori Chriſti cōmunicaſſe, vel calicem Domini bibiſſe, quod ad vitam*

Vide S. Thomā part.3.q.80.art.9 Concil. Trident. ſeſſ.21. cap.3. & can.3. *æternam proficiat, dubitamus.* Nō eſt aūt operæpretiū cæteros ſcriptores enumerare, cùm ipſa praxis Eccleſiæ & ſcholaſticorum communis doctrina, & denique Concilij Tridentini canon perſpicuè teſtatur pueris ante vſum rationis neque neceſſariò dandam eſſe, neque omnino iam dari ſolere Euchariſtiam. At verò tum patres omnes quàm ipſa praxis Eccleſiæ conſentiūt in eo, quod in ſexto capite Ioannis Euchariſtiæ Sacramentum promittatur. Cùm igi-

tur ob aliam cauſam Euchariſtia olim à certis patribus, certis in locis data ſit infantibus, ob aliam verò verba Diui Ioannis in ſexto Euangelij ſui capite de Euchariſtiæ Sacramento ab omnibus vbique patribus expoſita ſemper fuerint & interpretata: cùm illud in cautelam ſit alicubi factum: hoc verò velut ex mente Domini, & verborum proprietate ſit ab omnibus vbique intellectum: cùm illud fieri ante multa ſæcula ceſſauerit, hic verò intellectus in hodiernũ diem apud omnes Eccleſias & doctiſsimos viros perſeueret: non ſatis cõſideratè ab illis factum eſt, qui ob illud particulare factum quod iam olim in deſuetudinem abijt, hãc vniuerſalem diuinæ ſcripturæ interpretationem quæ & olim fuit in vniuerſum recepta, & adhuc recipitur, vacuam & irritam facere conantur: ac de his hactenus.

QVOD ETIAM SI PROpriè apud Ioannem de Euchariſtia Dominus loquatur, nulla vtramque ſpeciem ſumendi neceſsitas ex ea re cõſequitur.

CAP. XVIII.

POſtremò reſpondendum eſt illis, qui poſtquam ſemel conceſſerimus de Sacramento Euchariſtiæ apud Ioannẽ propriè agi, mox inferent vtramque ſpeciem, tam panis quàm vini adultis ſuſcipiendam eſſe. Atqui nulla omnino eſt mentio apud Ioannem panem triticei aut vini eius quod de vua exprimitur. Non ergo vtraque ſpecies ibi præcipitur, vbi neutra nominatur. Nam poſſumus manducare carnem & bibere ſanguinem Chriſti tribus modis: vel ſolo ſpiritu abſque vlla ſpecie, vel ſpiritu quidem, &

ſub vna ſpecie: vel ſpiritu,& ſub vtraque ſpecie. Ac profectò quod rectè abſq; vlla ſpecie fieri poſſe cõceditur,id quã tãdẽ ratione ſub vna ſpecie fieri poſſe negatur? Apud Ioannẽ verò ſic ad res ipſas in Sacramento accipiendas obligamur, vt cùm illæ tam ſub duplici ſpecie vi conſecrationis, quàm ſub vna ſola vi concomitãtiæ adſint,obligationi ſatisfieri queat, vtrouis modo carnem & ſanguinem Domini ſumamus. Etenim quod manducare carnem & bibere ſanguinem Chriſti iubemur, hoc in vna ſiue panis ſeu vini ſpecie non minus fieri poteſt, quàm Apoſtolus dicit ſe & lac in potum Corinthijs dediſſe, & eum de lacte gregis manducare qui gregem paſcit.
1.Cor.3. Nam vt ſub eadem lactis ſpecie modò quod in la-
1.Co.9. cte ſolidum eſt, manducari, modò quod liquidum eſt bibi & potari dicitur, ſic ſub eadem panis ſpecie, tũ Chriſti ſolida caro manducari,tũ eiuſdẽ liquidus ſanguis bibi rectè cenſebitur, præſertim quoties is qui communicat fidem & cogitationem ſuam in ſanguinem Domini etiam ſub ſpecie panis præſentem dirigit. Neque verò ad rationem & modum noſtræ carnalis conſuetudinis aut manducamus carnem aut bibimus Chriſti ſanguinem. Sed cùm in os noſtrum per Sacramentum Euchariſtiæ totum Chriſtum ſiue ſub vna,ſeu etiam (quando id ſaltem licet) ſub vtraque ſpecie exceperimus, anima & ſpiritus noſter eſt, tum qui manducat carnem, dum à Chriſto in ſe iam præſente accipit vim conformandi ſe ad viriles eius paſsiones & virtutes: tum qui bibit ſanguinem Chriſti,dum haurit ab eo gratiam,vt cum amore quodam & ſuauitate id patiatur, & agat quod Chriſtus præceperit. Manducare igitur & bibere apud Ioannem, licèt aliquid corporeum includat quoad præceptum quo nos obligat ad eius quod poſtea inſtituetur Sacramenti receptionem in

os

os & corpus noſtrum: tamen multò magis ad officia & functiones animæ ſpirituſque noſtri debet accommodari, cùm ob vitam æternam habendam & conſeruandã manducemus & bibamus hoc alimentum. Itaque cùm neque de ſpeciebus panis & vini vlla fiat mentio apud Ioannem, & eiuſdẽ Chriſti, tum caro manducari tum ſanguis bibi ſub eadem ſpecie rectè intelligi queat: quia & in os noſtrum (quod manducationi & potationi ex æquo inſeruit) Euchariſtiam accipimus, & inde anima tum carnem Chriſti manducat, tum ſanguinem bibit, hoc eſt, ſpiritaliter perfectèque nutritur: ſine cõtrouerſia prorſus ab Euangelij ſenſu aberrant qui ex ijs quæ apud Ioannem de ſolis rebus quas in Sacramento accipimus dicuntur, vtramque ſpeciem neceſſariò à quouis adulto accipiendum eſſe dogmatizant. Cùm enim quælibet oratio ſecũdum ſubiectam materiam accipienda ſit: vbi de rebus contentis ſub forma Sacramentorũ agitur, (ſicut in Domini cœna) ibi manducare corpus & bibere ſanguinem ſignificat diſtinctam illarum rerum ſub diuerſis formis perceptionem. Cæterum vbi de ſolis rebus & non etiam de formis agitur (ſicut in ſexto Ioannis) ibi ſatis eſt vt res ipſæ per corporis miniſterium ab anima percipiantur, ſiue id ſub vna, vel ſub vtraque ſpecie fiat. Vnde Auguſtinus cùm caput hoc ſextum interpretatus eſſet, rem in ſummam colligens, *Hoc ergo totum* (inquit) *ad hoc nobis valeat dilectiſſimi, vt carnẽ Chriſti & ſanguinem Chriſti non edamus tantum in Sacramento.* Ecce etiam ſanguis Chriſti editur; editur inquam in ſacramento. Et pergit, ſed vſque ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus, quod antè dixit edere, nunc iterum appellat manducare & bibere: & edere quidem attribuit ſoli Sacramento, propter eos qui ſub ſpecie tantũ panis Chriſtum re-

In Ioan. tract. 27.

De orat. De lap. Lib. 6. cap. 34. Apud Ruffinũ.

receperunt, vt ſanè permulti etiam olim ſoliti ſunt facere. Cuius rei Tertullianus, Cyprianus, & Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebij locupletiſsimi teſtes ſunt. Verùm de his aliàs, nũc animaduertamus rationem & ordinem orationis Chriſti apud Ioannem. De Chriſto enim, qui panis vitæ eſt, manducando agitur. Qui poſtquam ſe panem vitæ qui de cælo deſcendit, potiſsimum ratione deitatis (quæ non niſi per fidem viuam per ſeipſa manducatur) eſſe dixerat: mox addidit ſe quoque factūrum, vt etiam caro ſua nobis efficiatur panis vitæ: vnde ait, *& panis quē ego dabo, caro mea eſt*. Quæ vna propoſitio cùm id totum in ſe contineat quod poſtea per varias concluſiones explicatur: vtique ſecundùm primam enuntiationem alia quæ ſequuntur accipi debent; vt ſiue dicamur poſtea mãducare carnē, ſeu bibere ſanguinē Chriſti, *id de pane illo qui caro Chriſti eſt*; ſacramentaliter manducando dictum intelligatur, abſque eo quòd ad ſpecies panis & vini vlla neceſſaria relatio habeatur. Quod ex eo etiam fit probabilius, quia Chriſtus apud Ioannem ſeipſum comparat cũ manna, hoc eſt, cum illo vetere Iudæorum alimēto, quod

Sap. 16.

tametſi contineret in ſe omnis ſaporis ſuauitatem, ac propterea tam inſtar potus, quàm inſtar cibi eſſet, tamen id totum ſub vnica ſpecie, non autem ſub duabus ſpeciebus exhibuit. Porrò cùm Chriſtus doceat panem ſuum infinitis partibus præſtantiorem eſſe quàm manna Iudæorum fuerat, certè vna quælibet ſpecies illius cibi quem Chriſtus promittit, continebit, etiam æterni ſaporis omnem ſuauitatem, atque inſtar cibi potuſque ſola erit. Hoc enim eſt il-

In Ioan. tract. 11.

lud manna quod Auguſtinus non niſi fidelibus baptizatis præſtitum affirmat. Præterea quod alibi Chriſtus vocat manducare carnem & bibere ſanguinem ſuum, hoc alibi etiam appellat *manducare*

ſeipſum

329

ſeipſum dicens, *qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Nihil eſt ergo aliud apud Ioannem manducare carnem & bibere ſanguinem Chriſti, quàm Chriſtum manducare. Chriſtus verò totus manducatur etiam ſub vna qualibet ſpecie, quia non amplius diuiditur caro eius à ſanguine, cùm nec amplius moriatur: per vnius igitur ſpeciei ſumptionem ſatisfit ei præcepto de manducanda Euchariſtia quod apud Ioannem proponitur. Denique idem effectus apud Ioannem attribuitur ſoli manducationi huius panis quem Chriſtus dabit, qui attribuitur tam manducationi carnis quàm potationi ſanguinis, vt enim dicitur, *qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam.* Sic etiam dicitur, *qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quapropter Rom. 6.
cùm non fiat aliqua mentio panis & vini apud Ioan 1.
nem. Deinde cùm prima illa pollicitatio Chriſti qua dicit, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*, ſolius car-
nis meminerit: cùm præterea manducationem carnis 2.
potationemque ſanguinis ſui comparet cum mãna,
hoc eſt, cum cibo, qui ſub vna ſpecie omnem ſuaui- 3.
tatem repræſentabat: cùm declaret ſe nihil aliud intelligere per manducare carnem & bibere ſangui-
nem ſuum, quàm ſeipſum manducare, quod ſub vna 4.
ſpecie fit: cùm idem effectus vitæ æternæ promittatur ſoli manducationi huius panis, qui promittitur 5.
tam manducationi carnis quàm potationi ſanguinis: cùm totus orationis illius apud Ioannem finis & ſcopus is ſit, vt Chriſtum ita manducemus, non modò quemadmodum pater eum dedit, ſed præterea quemadmodum ille ſeipſum quoad ipſas res in Sacramento contentas, poſtea dabit (cuius donum à patris dono, præterquàm in modo corporali quo Sacramentum Euchariſtiæ ſecundum naturam humanam ſibi vnitam inſtituit & tradidit, non differt,

idque faciamus ob æternam vitam, quæ per illum cibum nobis confertur: ſi hæc omnia inter ſe conferantur, liquidò apparebit fruſtrà vrgeri manducationem carnis ſub ſpecie panis, & potationem ſanguinis ſub ſpecie vini: cùm non de ſpeciebus apud Ioannem agatur, ſed de ipſa re in cor & animam noſtram per oris inſtrumentum accipienda, ſiue id fiat ſub vna ſeu ſub vtraque ſpecie. Iã verò etiamſi de vtraque panis & vini ſpecie verba Domini apud Ioannem acciperemus, ne ſic quidem rectè inferri poſſet vtramque ſpeciem cuilibet homini præceptam eſſe.

De doct. Chriſt. in lib. 3. cap. 17. Nam præclarè Auguſtinus, *erit (inquit) hoc in obſeruationibus intelligendarum ſcripturarum, vt ſciamus alia omnibus communiter præcipi, alia ſingulis quibuſque generibus perſonarum*. Quæ Auguſtini verba vt exemplo propoſito planiora fiant, animaduertamus in vniuerſum tam primis parentibus, quàm poſtea Noë dictum eſſe, creſcite & multiplicamini: quod tamen præceptum non ſic eſt accipiendum, vt ſinguli obligentur matrimonio liberiſque procreandis operam dare. Sed illud ſatis eſt vt homines communiter id præceptum impleant, ad quod faciendum nunc plures nunc pauciores iudicio eorum qui præſunt Eccleſiæ Dei, tenebuntur, ſecundum temporis aliarumq; rerũ rationes. Eodemq; modo etiam ſi diceretur de vtraque ſpecie nominatim, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis*, tamẽ aliunde ſcimus hoc præceptum ita interpretandum eſſe, vt ſatis ſit ab aliquibus Chriſtianis illud impleri: ab ijs nimirum *qui apoſtolico gradui ſuccedentes, corpus & ſanguinem Chriſti ſacro ore conficiunt*. Nam quod ſoli ſacerdotes Eccleſiæ faciunt, non quidem ſic omittitur, vt non fiat omnino, licèt à ſingulis fidelibus non fiat. Ac ſanè Sacramentum quodlibet vno ſemper modo conſecratur:

Gen. 1. & 8.

ſecratur:

ſecratur à preſbyteris qui myſteria Chriſti diſpenſant, licèt alio atque alio modo conferatur ijs fidelibus qui Sacramentum illud accipiunt. Cōſecrationis forma eſt vnica & neceſſaria: diſpenſationis verò modus & ritus eſt multiplex, & paſtorum iudicio relictus. In conſecratione Euchariſtiæ tam panis quàm vini ſpecies adhibetur, atque etiam vtraque ſpecies ab eo qui conſecrat Euchariſtiam, neceſſariò ſumenda eſt, quia non perficitur totum ſacrificium, (tale inquam quod inſtitutum eſt vt à fidelibus ſumatur) donec quod ex officio ſacerdotali oblatum eſt, per ſacerdotem ipſum conſummetur. At verò an alij fideles qui participant de ſacrificio, totum ſacrificij ritum participare debeant, nec ne, id eorum qui præſunt arbitrio relictum eſt. Nam & in conſecratione baptiſmi Trinitas tota, hoc eſt, pater & filius & ſpiritus ſanctus neceſſariò à ſacerdote inuocatur. Poſtea verò quoad baptiſmi diſpenſationem, in ſacerdotis arbitrio (ſecundum Eccleſiæ in qua agitur conſuetudinem) poſitum eſt, ſiue ſemel immergamur in aqua, ſeu ter, ſeu etiam non immergamur omnino, ſed tantùm perfundamur, aut aſpergamur. Et tamen quo primùm tempore baptiſmus ſiue à Chriſto ſeu eius voluntate ab alio eſt collatus, vtique ſub aliqua certa formula, vel immerſionis, vel perfuſionis, vel aſperſionis collatus eſt. Sed quemadmodum eſſentia baptiſmi conſeruetur illæſa, ritus primùm celebratus, poſtea rectè mutari potuit: ſic poſtquam Euchariſtia ſecundum inſtitutionem Chriſti, coram ſolis noui teſtamenti ſacerdotibus celebratam in duplici ſpecie tum conſecratur, tum ſumitur à ſacerdote: poſtea modus illam diſpenſandi eorum qui Eccceleſiæ præſunt arbitrio relictus eſt. Quare ſiue vtramque ſpeciem ſeu alteram tantùm accipias, (modo tamen legem Eccleſiæ ſerues) & Sacra-

1.Cor.4.

Mat.28.

cramentum rectè percipis, & gratia ſpiritali potiris, etiamſi nō ſerues eum ritum qui primùm legitur à Chriſto fuiſſe obſeruatus. *Spiritus enim veritatis qui Eccleſiam Chriſti ducit in omnem veritatem*, quique nouerat quid in cœna Domini perpetuum ac neceſſarium, quidúe pro tempore liberum & mutabile erat, ſatis manifeſtò declarauit & formam conſecrationis in vtraque ſpecie neceſſariò retentam eſſe, & formam diſpenſationis vel in vna ſola, vel in vtraque licitè recipi poſſe. Id tantùm eſt videndum vt ne ritus aut hic aut ille fidei Catholicæ ſynceritatem vlla in re lædat. Nec enim ob vllam æquè cauſam Eccleſia prohibuit eos qui non offerūt, ſub vna duntaxat ſpecie communicare, quàm quod videbat Catholicam fidem lædi, dum ritus vtriuſque ſpeciei ſic vrgeretur, vt interim falsò doceretur Euchariſtiam ſub vna duntaxat ſpecie ſumi non poſſe. Eccleſia ergo quæ libenter tuliſſet vt populus, in vtraque ſpecie communicaret: ferre non potuit, vt retenta libertate vtriuſque ſpeciei, amitteret veritatem Catholicæ & Apoſtolicæ fidei: Verū de his aliâs plura. Nūc id tantùm volui dicere, ſi vtraque ſpecies ſumenda præciperetur in ijs verbis *(niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c,)* tamen id prĉeptū quantū ſatis eſt impleretur, dum ſacerdotes qui Eucha. in vtraque ſpecie conſecrant, etiam vtramque ſpeciem ſumunt: quia præceptū hoc non tam ſingulis fidelibus quàm vniuerſo fidelium corpori & ſocietati neceſſariò impoſitum eſt. Ac nimirum illud inter omnes conſtat, hoc præceptum quod de manducanda carne & bibendo ſanguine Domini præponitur, etiamſi de vtraque ſpecie fieret, tamen ſingulis fidelibus qui vnquam ſaluabuntur, datum non eſſe. Propterea quod neque paruuli etiam baptizati ad illud obligantur, nec illi qui cùm ſint adulti credunt quidē, ſed nondū bap-

baptizātur, licèt ad baptiſmũ ſeſe quàm diligentiſsimè præparent. Quod ſi etiam aduerſarij confitentur hæc duo genera hominum poſſe vitam in ſe habere, quamuis ſub neutra ſpecie Chriſtum accipiāt, profectò non eſt tale hoc præceptum, quin ita poſſit aliquos obligare, vt alij rurſus ab eo liberi ſint & immunes. Eadem verò Chriſti Eccleſia quæ docuit paruulos baptizatos nondum actu credentes, itemque adultos credentes ac nondum baptizatos ab vlla omnino ſpecie participanda immunes eſſe, docuit etiam Laicos à ſpecie vini percipienda (hoc præcepto qualecunque id ſit non obſtante) liberos eſſe & immunes, donec ipſa quippiam aliud magis expedire iudicauerit. Tot modis certum eſt nullarum virium id argumentum eſſe quod ex hoc præcepto (*niſi manducaueritis & biberitis*) ad vtriuſque ſpeciei ſtabiliendam communionem deducitur.

SVMMA EORVM OMnium, quæ hactenus in eum finem producta ſunt, vt probetur de Euchariſtia propriè apud Ioannem agi.

CAP. XIX.

PRima ratio qua probare conatus ſum propriè apud Ioannem de Euchariſtia tractari, petitur à verborum proprietate (donec contrarium conſtet) quæ in omni verborum interpretatione præſumi debet. Nihil verò magis propriè in verbis Domini apud Ioannem intelligi poteſt, quàm vt accipiamus carnem Domini quæ in cibum promittitur, oris officio, ſicut in Euchariſtia fit, accipiendam promitti: A 1.

præ-

2. præſertim cùm moris Chriſti fuerit noua quæque & inaudita prius pormittere & explicare diſcipulis, quàm illa fierent, quod & in hac cauſa factum eſſe
3. D. Chryſoſtomus & Cyrillus indicarunt. Quæ res ex eo valde confirmatur, quod nullus alius literalis ſenſus horum verborum (*& panis quem ego dabo, caro mea eſt,*) occurrat, in quo mens rectè acquieſcere poſsit, præter illum, qui ad cœnam Chriſti refertur.
4. Nam ſpiritalis datio fruſtra iam veluti futura de nouo promitteretur, quæ iuſtis omnibus ab orbe condito ſemper præſtita fuit. Secunda ratio petitur à
B cauſis dictorum, quæ ſic apud Ioannem redduntur, vt appareat illa verba (*panis quem ego dabo, caro mea eſt*) quorum ratio deinceps redditur, tam propriè accipienda eſſe, quàm in re myſtica & ſpiritali fieri po
5. teſt. Dominus enim & iurato affirmat, *amen amen, niſi manducaueritis carnem meam, non habebitis vitam*
6. *in vobis*: & manducandam carnem, bibendumque
7. ſanguinem ſuum ſæpe repetit, idque quoniam caro ſua verè ſit cibus. Ac demum per ſimilitudinem oſtendit, quod qui eum manducat, *ſic viuit propter ip-*
8. *ſum, vt ipſe miſſus à patre viuit propter patrem.* Et certè ipſe propter patrem tota ſubſtantia in ipſo præ-
C ſentem viuit: nec tota Chriſti ſubſtantia aliter in nobis eſt, quàm per manducationē Euchariſtiæ. Tertia ratio petitur à circunſtantia eorum quæ in ſexto
9. capite leguntur: vbi aliud patris aliud filij donum
10. commemoratur. *Pater dat verum panem nobis: filius*
11. *verò hominis dabit carnem ſuam verè cibum*, non mo-
12. dò nobis, verumetiam *pro mundi vita*. Ex eoque illa caro tanquam ſacrificij participatio nobis promittitur: quod idem eſt ac ſi dicamus, promitti eam in Sa
13. cramento. Ibi *Deus operatur* in nobis, quia primum gratiam nobis dat, ſine qua nos operari nihil poſſumus. Hic nos ipſi iubemur operari cibum, quem filius

lius dabit nobis, quia is eum prius nobis non dabit, quàm gratiam eum operandi à Deo per fidem & baptiſmum acceperimus. Euchariſtia non niſi iuſtificatis datur. Ibi venitur ad Chriſtum per fidem & gratiam ſpiritalem: hic manetur in Chriſto per Euchariſtiam & Sacramentorum gratiam. Ibi Iudæi petunt panem, quia non abhorrebāt à nomine & ſpecie ſpiritalis cibi, quem pater dat, hic quærunt quomodo poteſt carnem ſuam dare mãducandam, quia non credebãt in filium, ac multò minus curabant Sacramenta eius. Ibi vita habetur credendo: hic non habetur tantùm, ſed habetur etiam *propter Chriſtum* vtique præſentem in nobis vt pater in ipſo eſt. Ibi manducatur ex pane; quia panis illius ſubſtantia aberat: licèt adeſſet gratia: hic panis ipſe manducatur, quia totus intra nos accipitur. Denique ibi in ſpiritale attractionis exemplum, hic verò in corporale aſcenſionis exemplum definitur, quia ibi de ſpiritali, at hic de corporali per Sacramentum manducatione ſermo erat, vbique autem plus non dignitatis quidem, ſed externæ realitatis, & vt ita loquar corporalitatis eſt in filij dono, quàm in patris: vnde & *filium hominis* ipſe ſe vocat, & donum ſuum vocat *carnem verè cibum, & ipſum panem dicit manducari, & nos ipſos eum operari, & manere in ipſo, & viuere propter ipſum.* Tot autem diſcrimina inter pãtris & filij donum toties inculcata ſuperuacaneè commemorari non poſſunt. Quarta ratio petitur à collatione ſcripturarum. Quod enim apud Ioannem fit & dicitur, mirè cum cœna Domini conſentit: ibi panes accipiuntur, & poſt gratiarum actionem diſtribuuntur diſcumbentibus turbis, non ſine ingenti miraculo interueniente. Et in cœna panis triticeus accipitur, & poſt gratiarum actionem panis vitæ diſtribuitur diſcumbentibus Apoſtolis, Dei omnipotentia

14.
15.
16.
17.
18.
D.
19.
20.
21.
22.
23.

tentia interueniente, per quam panis ille azimus nõ
effigie ſed natura mutatus, factus eſt caro. Ibi cùm
proximum paſchà eſſet Iudæorum, panes multipli-
cantur: hic in ipſo Paſchate Iudæorum vnitas cor-
24. poris Chriſti multiplicatur, id eſt, tota multis, & to-
ta ſingulis datur. Ibi à panibus ad ſermonem de car-
25. ne itur: hic autem panis acceptus per operatorium
Domini ſermonem in ipſam carnem ſuam tranſit.
Ibi Chriſtus miraculum: hic idem ipſe myſterium
26. operatur. Ibi promittit, hic dedit. Ibi ait *dabò*, hic ait,
27. *accipite*. Ibi *caro mea eſt*, hic autem, *hoc eſt corpus meum*.
28. Ibi *quam dabo pro mundi vita*, hic verò, *quod pro vobis*
29. *datur*. Ibi *caro mea verè eſt cibus*, hic, *manducate, hoc eſt*
30. *corpus meum*. Ibi *ſanguis meus verè eſt potus*: hic, *bibite*
31. *ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus*. Ibi non pro-
32. mittitur vinũ, nec hic datur, quia calix dicitur *fundi*
33. *pro nobis*, ſed vinũ nõ funditur pro nobis. Ibi ſoli 12.
34. remanſerũt cũ Chriſto: hic ſoli 12. cum illo aderant.
35. Ibi Petrus promittit ſe adhæſurũ Domino: hic idem
36. facit. Ibi Iudas ſignificatur eſſe diabolus, & hic ſata
nas in eũ intrat. Nec iſta ſingula ſeorſim perpẽden-
da ſunt, ſed omnia ſimul cõiungẽda, & quæ ſunt per
ſe imbecilliora, per alia quæ fortiſsima ſunt, con-
firmentur. Quinta ratio petitur ab antiquorum
E patrum conſenſu, qui tantus eſt, vt tam Græci quàm
Latini ſextum caput interpretati ſint de Euchariſtia
non tantùm in homilijs, accommodando ſextum
37. caput ad cœnam Domini, ſed in illis commentarijs
38. quos ita elaborarunt, vt ſummo ſtudio, & multis
precibus, vigilijſque, & maiorum traditione ſenſum
39. literalem inueſtigarent: quorum ſententiam ſecuti
ſunt etiam Scholaſtici doctores, & ij multò doctiſsi
mi. Nec tantùm verbo ſimplici hæc de ſexto capite
40. affirmarunt, ſed neceſsitatem ſumẽdi Euchariſtiam
inde collegerunt, tam Cyprianus quàm Cyrillus.

Imò

Imò Hylarius, Ambroſius, & Cyrillus ex eo ſenſu qui in caput ſextum Ioannis per vniuerſam Eccleſiam eſt receptus, contra hæreticos diſputarunt, adeo 42.
vt eum de Euchariſtia ſenſum quidam nuper tantùm cœperint impugnare, nec olim quicquam tale
vnquam ſit cogitatum. Quando autem negatum eſt 43.
de Euchariſtia apud Ioannem agi, ea res ſtatim placuit & Lutheranis & Zuinglianis Eccleſiæ hoſti- 44.
bus, contraque illos mox pugnatum eſt à Roffenſi Epiſcopo veritatis Dei ſyncero teſte, & à compluribus alijs Catholicis Epiſcopis & doctoribus. Se- 45.
xta ratio petitur à Concilijs tã prouincialibus quàm F
œcumenicis, & primũ ab Alexandrino, quod poſtea comprobatum eſt ab Epheſino primo, vbi cùm Ne- 46.
ſtorius verbis ſexti capitis ad hæreſim ſuam abuteretur, velut caro filij hominis, non diuinitas manducanda ſignificaretur: patres tunc vltrò confitentes de Euchariſtia illic agi, oſtenderunt carnem Chriſti in Euchariſtia percipi non vt communem, ſed vt verbi propriam effectam, & viuificatricem ob vnionem quam habet cum verbo. Deinde Nicænum ſecun- 47.
dum verbis eiuſdem ſexti capitis vtitur ad confirmationem Eccleſiaſticæ fidei circa Euchariſtiæ Sacramentum. Denique præter Cabilonenſe & Senonen- 48.
ſe concilia prouincialia, etiam Tridentinum Concilium Oecumenicum cùm probaret Sacramentum 49.
Euchariſtiæ ſumi, tanquàm ſpiritalem cibum, cita- 50.
uit illa verba apud Ioannem, *qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Septima ratio ſumitur ab vſu
Eccleſiæ Dei, quæ cùm haberet alia Euangelia in G
quibus de Euchariſtia ſecundum literam agitur, par- 51.
tem huius ſexti capitis D. Ioannis in feſto Sacramenti corporis Domini legit, nihil dubitãs quin & ipſum de Euchariſtia propriè loquatur. Octaua
ratio conſiſtit in eorum quæ contra noſtram ſen- H

tentiam adducuntur confutatione. Neque verò ſingulis tantùm argumentis quæ in contrarium ſen-
52. ſum afferuntur ſatisfeci: verumetiam pleraque illorum à vero diſcrepantia, & à recta ratione aliena eſſe, declaraui. Nec enim rectè infertur, vt quia ſigno-
53. rum cœnæ Domini apud Ioannem nulla ſit métio, ideo dicamus de Sacramẽto cœnæ ibi non agi, cùm rerum in cœna exhibitarum, hoc eſt, corporis & ſanguinis Domini fiat apud Ioannem mentio, quæ vtique pluris quàm ſola ſigna æſtimari debent. Dein-
54. de non rectè arguitur contra ſacramentalem dationem, quia dictum eſt apud Ioannem, *carnem Chriſti dandam eſſe pro ſæculi vita*: cùm etiam in cœna ſit dictum, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*. Nec aliud ſit pro nobis dari, quàm pro ſæculi vita dari. Cùm duplex datio promittatur à Chriſto: vna in ci-
55. bum, altera in mortem: cùmq; Iudæi de prima quærerent: *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*? & Chriſtus de eadem reſponderit, *niſi manducaueritis carnem filij hominis*: difficile eſt vt hoc vltimum Chriſti verbum concedatur ad eam dationem, quæ in mortem facta eſt abſque interuentu alterius dationis quæ in cibum fieret, pertinere.
56. Nec video quî factum ſit, quod cùm Chriſtus tum dationem in futurum prius promittat, tum præſentem manducationem poſterius requirat, illi ſic adhærent præſenti manducationi, vt interim non animaduertant illam pendere à futura datione quæ prius promiſſa eſt: cùm præſens tempus potius futuro quàm futurum præſenti cedere debuiſſet. Præ-
57. terea cùm datio de qua Chriſtus agit & filij hominis eſſe dicatur, & reijciatur in futurum tanquã adhuc non fuerit impleta, & per manducationem panum qui miraculosè multiplicabantur, ſit præfigurata, & denique per exemplum corporalis Chriſti aſcen-

aſcenſionis declarata ſit à recta ratione alienum eſt, vt vel datio talis, vel manducatio quæ tali dationi reſpondet, putetur actus merè ſpiritalis, & non etiam Sacramentalis eſſe. Nec ſatis conſideratè arguunt contra nos, quærentes quomodo pueri ſal- 58.
uentur qui non ſumunt Euchariſtiam, cùm etiam ſi verba illa (*niſi manducaueritis*) de ſola ſpiritali manducatione intelligerentur, tamen quia manifeſtiſsimè præcipiunt actum aliquem ſpiritalem, ne ſic quidē ad infantes propriè & principaliter poſsint pertinere, quia infantes actu neque credunt neque inuocant: vt ergo effectum vnitatis Eccleſiæ per alienos fidei & innocationis actus, quorum iam fratres & membra ſunt, percipiunt, ſic etiam per illorum ſumptionem Euchariſtiæ, ac votum ſpiritale, ipſi participant gratiam vnitatis Eccleſiæ. Quid quod aduer- 59.
ſarij noſtri confundunt res maximè diſtinctas, vt patris & filij diuerſa dona, itemque *dare* & *daturum eſſe*, *venire* ad Chriſtum, & in Chriſto *manere*, aliaq; huiuſmodi. Nōne & illud valde abſurdū eſt, vt cùm 60.
fateantur agi de manducatione quæ ducat nos ad æternam vitam, nolint tamen illam ibi manducationem intelligi, quæ maximè omniū eò ducit, & quàm ipſi perfectiſsimam omnium fatentur eſſe? Eſt & il- 61.
lud in eodem abſurditatis genere, quod ab omnium (vt nos quidem probauimus) & ex ipſorum confeſſione à plurium conſenſu recedentes, nouam interpretationem veteri & antiquæ praferunt. Atque il- 62.
lud eſt adhuc magis abſonum, quòd cùm antiqui patres tanto cum ſtudio & labore germanum ſcripturæ ſenſum inueſtigarunt, illi dicunt eos accommodaſſe verba ad Euchariſtiam: qua phraſi ſignificant eos non proprium & maximè germanum Euangelij ſenſum attigiſſe. Nec video etiam qua ratione id 63.
admitti queat, vt ſermo fiat de re propriè ſignata per

 Eu-

Euchariſtiam,id eſt, de illo affecto,qui non à baptiſmo,ſed ab Euchariſtia (ſecundum Auguſtini iudiciũ)profluat, & interim de cauſa illius effectus, hoc eſt,de Euchariſtia ipſa,ſermo fieri negetur. Illorum
64. interpretatio negat id propriè in ſexto capite ſignificari, quod tamen & verum alioqui eſſe concedit, quodq́ue nec ſcripturæ ſanctæ, nec fidei Catholicæ vllo modo repugnat: vnde non rectè præſcribit ſpiritui ſancto vt hoc non intelligatur propriè in ſexto capite,quod etiam ſi maximè illic intelligatur,nihil tamen abſurdi ex eo conſequetur. Nam quod ad communionem vtriuſque ſpeciei attinet,etiamſi demus caput ſextum de Euchariſtia nõ loqui (id quod & Lutherani & Zuingliani perhibent)tamẽ vtramque ſpeciem nihilominus vtrique(licèt non rectè)ex ipſa hiſtoria cœnæ Domini vrgent. Poſtremò per illorum interpretationem multum decedit de Ca-
65. tholica fide:quia ſi ponamus caput ſextum de Euchariſtia loqui,mox clariſsimè efficitur corpus Chriſti præſens eſſe in Euchariſtia, non ſignotenus, verùm in tota rei ſubſtantia: nam in ſexto capite aut nihil omnino promittitur in cœna dandum, aut id quod promittitur, eſt ipſa caro, quæ data eſt pro mundi vita. Nam de ſignis Sacramentalibus cùm nihil perſpicuè apud Ioannem dictum ſit, non poteſt dici quod illa ſint promiſſa. Ac de carnis quidem ſubſtantia neceſſe eſt illud intelligi, *panis quem ego dabo,caro mea eſt:* non enim dicit caro mea erit, ſed eſt caro mea. Licèt igitur datio carnis in cibum reijciatur in futurum: tamen ſubſtãtia quæ promittebatur,fuit iam tunc in Chriſto præſens. Deinde ex eodem ſexto capite non mediocre iudicium capiemus,non manere ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem:quia ſi Dominus prædixit quid in cœna daturus erat,neque tamen de pane mãducan-

do,

do, aut vino bibendo quicquam prædixit, vtique docuit cœnam ſuam non talem fore, quæ ex pane & vino, ſed tantùm quæ ex corpore & ſanguine ſuo conſtaret. Imò etiam inde concludemus vtramque ſpeciem non eſſe cuilibet participanti neceſſariam, quia in ſexto capite apparet non niſi Chriſtum ipſum eſſe, qui promittatur, velut panis, ac potus noſter ſpiritalis fore. Licèt enim conſecratio fiat in duplici ſpecie ob paſsionem ſignificantius annunciandam, & vtriuſque ſpeciei ſumptio ſaltem à ſacerdote fieri debeat, vt Chriſtus exteriore illo ſigno declaretur tam potus quàm cibus noſter ſpiritalis eſſe: tamen poſtquam illæ ſacræ ſignificationes per conſecrationem & ſacerdotalem ſumptionem diuinitùs impletæ & conſummatæ ſunt, de reliquo ſatis eſt vt Chriſtum totum ſub qualibet ſpecie præſentem ad ſalutem ſpiritalem ſumamus. Præterea cùm promittitur nobis in cibum illa eadem *caro quæ data eſt pro mundi vita*, certè promittitur velut ſacrificium, & non tantùm vt Sacramentum. Promittitur enim vt caro ſemel cruentè ſacrificata, & ſemper in ſe virtutem ſacrificij conſeruans, vbicunque per incruentam conſecrationem ſiſtitur aut præſens fit. Hæc omnia quæ non ſunt parua fidei Catholicæ adiumenta prorſus auferuntur, ſi caput ſextum negetur de Euchariſtia loqui: longè optimum vt ſit, cũ proprietate verborum, cum rationum redditarum vi, cum circunſtãtijs, cum ſcripturarum certiſsima collatione, cum antiquitatis conſenſu, cum approbatione Conciliorum, & cum Occidentalis Eccleſiæ vſu, tot abſurdis deuitatis, cum tanto fidei Catholicæ lucro firmiter ſtatuere & prædicare, quod in ſexto Ioannis capite Dominus de Euchariſtiæ Sacramento propriè loquatur.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tractatus iſte de ſententia Domini, Ioannis ſexto, videtur mihi pereruditus, ſolidus, Catholicus atque vtiliſsimus qui imprimatur: Cunerus Petri Paſtor S. Petri Louanienſ. 20. Iunij, Anno 1569.